

Series II. Sectio I. - «ANALECTA OSBM» - Vol. II
Серія II. Секція I. - «ЗАПИСКИ ЧСВВ» - Том II

M. M. SOLOWIJ OSBM

**DE REFORMATIONE LITURGICA
HERACLII LISOWSKYJ**

ARCHIEPISCOPI POLOCENSIS (1784-1809)

Ed. 2

R O M A E 1 9 5 0

SUMPTIBUS PP. BASILIANORUM - PIAZZA DELLA MADONNA DEI MONTI, 3.

ANALECTA ORDINIS S. BASILII MAGNI

SECTIO I

Series II. - «ANALECTA OSBM» - «ЗАПИСКИ ЧСВВ» - Серія ІІ.

Sectio I:

O P E R A

Vol. II.

M. M. SOLOWIJ OSBM

***DE REFORMATIONE LITURGICA HERACLII LISOWSKYJ
ARCHIEPISCOPI POLOCENSIS (1784-1809)***

R O M A E

**Series II. Sectio I. - «ANALECTA OSBM» - Vol. II
Серія II. Секція I. - «ЗАПИСКИ ЧСВВ» - Том II**

M. M. SOLOWIJ OSBM

**DE REFORMATIONE LITURGICA
HERACLII LISOWSKYJ**

ARCHIEPISCOPI POLOCENSIS (1784-1809)

Ed. 2

R O M A E 1 9 5 0

SUMPTIBUS PP. BASILIANORUM - PIAZZA DELLA MADONNA DEI MONTI, 3.

VIDIMUS ET APPROBAMUS

Romae, ex Pontificio Instituto Orientalium Studiorum, die 12-I-1950.

P. ALPHONSIUS M. RAES S. J.
P. JOANNES M. HANSENS S. J.

IMPRIMI POTEST

Romae, e Curia Generali Ordinis Basiliani S. Josaphat, die 6-VII-1950.

P. THEODOSIUS T. HALUSCZYNKYJ OSBM
Archimandrita - Superior Generalis

IMPRIMATUR

Romae, e Vicariatu Urbis, die 1-VIII-1950.

 ALOYSIUS TRAGLIA
Archiep. Caesarien. Vicesgerens



Герасим Архистратигов

HERACLIUS LISOWSKYJ
Archiepiscopus Polocensis (1784-1809)

INDEX RERUM

<i>Praefatio</i>	VII
<i>Fontes et Bibliographia</i>	IX
I. <i>Fontes</i>	IX
II. <i>Bibliographia</i>	X
III. <i>Sigla et Abbreviationes</i>	XI

INTRODUCTIO

CAPUT I. Notae biographicae de Heraclio Lisowskyj (1734-1809)	3
CAPUT II. De reformatione liturgica ante H. Lisowskyj (1720-1784)	13

PARS PRIMA

CAPUT I. De vicissitudinibus historicis reformationis liturgicae Heraclii Lisowskyj (1785-1795)	21
CAPUT II. De idea principali reformationis liturgicae Heraclii Lisowskyj	30
CAPUT III. De obiecto reformationis liturgicae: Abusus reformandi in s. Misae Sacrificio (I)	36
CAPUT IV. De obiectoreformationis liturgicae: Abusus i Sacramentorum administratione, in Sacramentalibus et in Divino Officio (II)	48
CAPUT V. De obiecto reformationis liturgicae: Reductio Festorum (III)	60
CAPUT VI. De motivis reformationis liturgicae deque remedio in eadem adhibendo	64
CAPUT VII. De influxu Georgii Turkiewicz in reformationem liturgicam H. Lisowskyj	74

PARS SECUNDA

CAPUT I. Sententia Romanae Ecclesiae de reformatione liturgica	81
CAPUT II. Variae cleri rutheni de reformatione liturgica sententiae	93
CAPUT III. Orthodoxorum et Catholicorum de reform. liturgica sententiae	104
CAPUT IV. Recapitulatio et conclusio	109

APPENDIX

NONNULLA DOCUMENTA AD REFORMATIONEM LITURGICAM SPECTANTIA

1. Epistula H. Lisowskyj ad J. Smogorzewskyj, 8-II-1786	113
2. Epistula H. Lisowskyj ad S. C. de Prop. Fide, 22-II-1786	114
3. Epistula Card. L. Antonelli ad H. Lisowskyj, 29-VII-1786,	117
4. Epistula Nuntii Ferd. Saluzzo ad H. Lisowskyj, 16-VIII-1786	119
5. Epistula H. Lisowskyj ad Ferd. Saluzzo, 28-XII-1786	120
6. Epistula L. Antonelli ad H. Lisowskyj, 29-IX-1787	125
7. Epistula L. Antonelli ad H. Lisowskyj, 23-VIII-1788	126

PRAEFATIO

Iam medio saeculo XVII, id est paucis decenniis post Unionem Brestensem (1596) elapsis, antiquus ritus Ecclesiae Ruthenae¹ in nonnullis punctis evolvi et mutari coepit. Haec evolutio sub fine saeculi XVII magis magisque progreditur et medio saeculo XVIII culmen suum attigit. Sed dum una ex parte Ritus Ruthenus variis de causis et imprimis sub influxu Ritus Latini sensim sine sensu evolvebatur, altera ex parte in ipsius Ecclesiae Ruthenae sinu Viri Ecclesiastici non defuerunt, qui hanc evolutionem impidire, et Ritum Ruthenum ad eius pristinam formam reducere conabantur. Huiusmodi defensores antiqui Ritus Rutheni saeculo XVII Jacobus Susza et Petrus Kaminskyj extiterunt. Saeculo vero XVIII reactio contra alterationem Ritus Rutheni adhuc intensior fit, ita ut de quodam « motu puristicō » sermo esse possit, qui ad reformationem liturgicam tendebat.

Inter propugnatores huius « motus puristicī » saeculo XVIII primum locum sine dubio Archiepiscopus Polocensis Heraclius Lisowskyj (1784-1809) obtinet. Sed de eius vita et activitate, praesertim vero de eius conamine reformandae liturgiae ruthenae aliquod opus scientificum adhuc desideratur. Quem defectum saltem ex parte per praesentem nostram elucubrationem completere intendimus.

Obiectum nostrae inquisitionis est igitur reformatio liturgica a Heraclio Lisowskyj propugnata. Activitas reformatoria Archiepiscop. Polocensis in campo liturgico variis de causis specialem meretur attentionem, maxime vero propter eius ideam, obiectum, motiva et remedium propositum.

Dum apud defensores antiqui Ritus Rutheni saeculo XVII (Susza, Kaminskyj) difficile quaedam determinata et bene elaborata reformatio- nis liturgicae idea inveniri potest, apud Heraclium Lisowskyj activitas reformatoria non solum clara principia exhibet, sed etiam determinatum finem, obiectum, media et motiva praesefert. Reformatio liturgica

¹ Quando in decursu huius dissertationis nomen « ruthenus » occurrit, sumendum est in sensu mere ecclesiastico-rituali, non vero ethnographico-nationali, seu nomen adiectivum « ruthenus » non designat populum aut nationem, sed vel Ecclesiam, vel Ritum, vel liturgiam, etc. (« Ecclesia Ruthena », « Ritus Ruthenus », « liturgia ruthena », « clerus ruthenus » etc).

Ad praecavendam confusionem, quae ex usu nominis « Russia », vel « russicus » facile oriiri potest, duplēm adhibemus terminologiam, id est nomen « Rossia », « rossiacus » - ad designandum imperium, populum et Ecclesiam Moscoviticam inde a saec. XVII, nomen vero « Russia » suam antiquam et propriam significationem retinet, seu hodiernam Ucrainam et Alborus-siam - antiquum statum « Rus » - designat.

Archiepiscopi Polocensis igitur tamquam aliquod opus bene praemeditatum, systematicum et super fundamento ideologico constructum appetat.

Sed hoc opus differt non tantum ab anterioribus conaminibus reformatiae liturgiae ruthenae saeculi XVII, verum etiam a posterioribus, id est saeculi XIX. Dum Heraclius Lisowskyj in reformanda liturgia ruthena rectam viam sequi conabatur, in quantum ad opus suum auxilium S. Sedis Apostolicae invocaverat eiusque iudicio suum propositum submisserat, reformatores Ritus Rutheni saeculi XIX (Siemaško, Lužynskyj, Wojeckyj, Popiel, Naumowyč) de consensu S. Sedis Apostolicae minime curabant, sed opus reformatorium ex motivis et tendentiis schismaticis initaverunt et ultimatum ab Ecclesia catholica defecerunt.

Reformatio liturgica Heraclii Lisowskyj in historia Ecclesiae Ruthenae etiam sub hoc respectu magnum momentum habet, quod ansam dedit non solum variis opinionibus de hac reformatione ex parte cleri rutheni, sed etiam ex parte S. Sedis Apostolicae prima vice aliquod tentamen ad solendum « problema liturgicum » proponebatur.

Nostra dissertatione quasi ex toto in documentis adhuc ineditis vel parum notis innititur, quae in tabulariis Archivii S. Congregationis de Propaganda Fide et Archivii Secreti Vaticani colligere potuimus. Dolendum sane est, quod non potuimus propter adversitates temporum varia Archivia in terris Ukrainae, Alborussiae et Rossiae, et praesertim « Archivium Metropolitarum Unitorum » inspicere. Attamen etiam ex collectis in Urbe documentis rectum iudicium de reformatione liturgica Heraclii Lisowskyj formari potest.

Cum obiectum nostrae dissertationis sit solam activitatem reformatiorum Heraclii Lisowskyj in campo liturgico examini critico subicere, non disserimus de aliis eiusdem Hierarchiae gestis, id est de eius activitate ecclesiastico-administrativa, de eius relatione ad Ordinem Basilianorum, ad Ecclesiam Ritus Latini, ad Ecclesiam Orthodoxam et ad Gubernium Rossicum, necnon de eius ideis unionisticis. Tamen notandum est, Heraclium Lisowskyj in omnibus fere suea activitatis provinciis eandem fundamentalem pree oculis habuisse, quae tam clare in reformanda liturgia manifestatur, nempe tendentiam ad restaurandam Ecclesiam Ruthenam in spiritu Unionis Brestensis.

Ipsam dissertationem ita dividimus, quod in INTRODUCTIONE generales tradimus notitias de vita et activitate Heraclii Lisowskyj necnon de quibusdam conaminibus reformatiae liturgiae ruthenae immediate ante eius adventum; in PRIMA PARTE ipsum opus reformationis, id est eius historia, idea, obiectum, motiva et media exponuntur; in SECUNDA vero PARTE variae de reformatione Archiepiscopi Polocensis opiniones et sententiae examinantur, et deinde per modum conclusionis iudicium syntheticum de persona et activitate eius proponitur.

Hoc loco debitas exhibere vellem gratias Rev. Patri ALPHONSO RAES S. J., Pont. Instituti Orientalium Studiorum Professori, qui suis prudentibus consiliis et indicationibus me investigantem dirigebat et adiuvabat. Gratum me profiteor etiam omnibus, qui in colligendis respectivis documentis mihi adiutorium praestabant.

FONTES ET BIBLIOGRAPHIA

I. *Fontes*

a) *Fontes inediti*

1. ARCHIVIUM SECRETUM VATICANUM

- a) *Archivio della Nunziatura di Varsavia*, t. 69, 70, 71, 78, 83, 86, 87, 88, 99, 101, 103, 128, 133, 142, 145, 146, 147, 149.
- b) *Archivio della Nunziatura di Vienna*, t. 75.
- c) *Nunziatura di Polonia*, t. 344/I, 344/II, 344/III, 344/V, *Additamenta*: t. 19, 21, 24.

2. ARCHIVIUM S. CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE

- a) *Acta S. Congregationis P. F.*, t. 157, 158, 159, 160.
- b) *Scritture Riferite nelle Congregazioni Generali*, t. 876, 879, 885, 888.
- c) *Scritture Riferite nei Congressi: Moscovia, Polonia, Ruteni*, t. 12, 13, 14, 15, 16, 17, 18.
- d) *Congregazioni Particulari*, t. 137.
- e) *Congregationes et Animadversiones in libros Ecclesiae Orientalis*, t. 4, 8, 9, 10.
- f) *Lettere della Congregazione*, t. 246-260.
- g) *Decreti della S. Congregazione*, t. 4.
- h) *Scritture Riferite nei Congressi Greci*. Miscellanea. Tomo unico, Quaderno XI, XV.
- i) *Moscovia. Polonia e Ruteni. Relazioni*, *Miscellanea*, t. 1.

b) *Fontes publici iuris facti*

Akty izdawajemyje Vilenskoju Archeograficесkoju Komisijeju, Vilna 1889.

Archeograficесkij Sbornik dokumentov otnosiasčichsja k istoriji Ševero-Zapadnoj Rossiji, t. X (Vilna 1874), t. XII (Vilna 1900).

Archiv Jugo-Zapadnoj Rossiji izdavajemyj vremennoju Komisijeju dla razbora drevnych aktov, Pars I, vol. IX, (Kiev 1893).

DE MARTINIS, *Ius Pontificium de Propaganda Fide*, pars prima, vol. III, Romae 1890.

HARASIEWICZ M., *Annales Ecclesiae Ruthenae*, Leopoli 1862.

KOJALOVIČ M., *Dokumenty objasniajuščije istoriju Zapadno-Russkaho Kraja*, S. Petersburg 1865.
Opisanije dokumentov Archiva Zapadno-Russkikh unijatskikh Mitropolitov, S. Petersburg 1907, t. II.

Polnoje Sobranije Zakonov Rossijskoj Imperii. t. 20, 21, 22, 23, 24, 25, 26, 27, 28, S. Petersburg 1830.

ROUËT DE JOURNEL M. J., S. J., *Nonciatures de Russie d'après les documents authentiques: - Nonciature de Litta (1797-1799)*, Città del Vaticano 1943: - *Nonciature d'Arezzo (1802-1806)*, P. I. Rome 1922, P. II. Rome 1927.

Sbornik Russkaho Istoriceskaho Običestva, T. I, S. Petersburg 1867.

Synodus Provincialis Ruthenorum habita in civitate Zamosciae anno 1720, Romae 1883, (3 ed.).
THEINER A., *Vetera Monumenta Poloniae et Lithuaniae*, t. IV, Romae 1864.

II. Bibliographia

- AMMANN A. M., *Storia della Chiesa Russa e dei Paesi limitrofi*, Torino 1948.
- AMVROSIJ ARCH., *Vzhlad pravoslavnago na Zamosciskij sobor, byvšij v 1720 godu*, (TKDA, 1862, II, pag. 396-427).
- BILANYCZ J., *De Synodi Zamosciensis celebratione approbationis forma et ad ius ecclesiasticum Ucrainorum vigens relatione*, Romae 1944, (Thesis ad Lauream in Pont. Instituto utriusque iuris praesentata, manuscr.).
- BOBROVSKIJ P. I., *Podhotovka reform v russkoj greko-unijatskoj cerkvi (1803-1827)*. Otvět profesoru Kojaloviču, (Chr. Č., 1889, I, pag. 720-764).
- *Russkaja greko-unijatskaja cerkov v carstvovanije Imperatora Aleksandra I*, S. Petersburg 1890.
- BOCIAN J., *De modificationibus in textu slavico liturgiae S. Johannis Chrysostomi apud Ruthenos subintrodutis*, (Xrysostomika, Romae 1908, pag. 929-969).
- Bohoslovia nravoučitel'naja*, Lvov 1760.
- CHARKIEWICZ W., *Zmierzch Unji kościołnej na Litwie i Białorusi*, Slonim 1929.
- CHOJNACKIJ A., *Zapadno-russkaja cerkownaja unija v jej bogosluženiji i obrjadach*, Kiev 1871.
- CHOLMSKIJ, *Greko-Unijatskij Měsiaceslov*, Varšava 1871.
- CHRUSCEVIČ G., *Istorija Zamojskaho Sobora (1720 goda)*, Vilna 1880.
- CISTOVIC I. A., *Sostojaniye unijatskoj cerkvi v Rossiji v carstvovanije Imperatora Aleksandra I*, (PrO, 1879, II, pag. 205-231, 629-676).
- GAGARIN J., *Un nonce du pape à la cour de Catherine II. Mémoires d'Archetti*, Paris-Bruxelles 1872.
- GORJUČKO P. S., *Iz istoriji vozsojeninenija unijatov v Bělorussiji 1795-1805 godov*, (TKDA, 1902, pag. 159-234, 514-522).
- GOVORSKIJ K., *Vzhlad na sostojaniye unijatskoj cerkvi v Bělorussii so vremenii vozvrăščenija etoij strany k Rossiji*, (Věstnik Jugo-Zapadnoj Rossiji, II, 1864, 8, pag. 89-98).
- KIPRIJANOVIC G., *Žizn Josifa Siemaski mitropolita Litovskaho i Vilenskaho i vozsojeninenije zapadno-russkich unijatov s pravoslavnoju cerkovicu v 1839 g.*, Vilna 1897 (2 ed.).
- KOJALOVIČ M., *Istorija vozsojeninenija zapadno-russkich unijatov starich vremen*, S. Petersburg 1873.
- *Dějatelnost Georgija Konisskaho poslé pervaho razděla Polše*, (Chr. Č., 1873, II, pag. 309-399).
- *Smuta v unijatskoj sredě v Bělorussiji v 1802-1803 g.*, (Chr. Č., 1874, pag. 402-422).
- *K predstojašemu piatidesiatiletiju vozsojeninenija russkich unijatov 1839*, (CV. 1889, pagina 153-155, 173-176, 193-196, 213-216, 233-235).
- *Istoriceskoje značenije vozsojeninenija s pravoslavnoju cerkovju zapadno-russkich unijatov v 1839 g. i jestestvennyja osobennosti prazdnovanija jeho piatidesiatiletija*, (CV, 1889, pag. 361-363, 377-379, 393-394).
- KOROLEVSKIJ C., *L'Unitarisme, Prieuré d'Amay sur Meuse* 1927.
- KOSSOWSKI A., *Blaski i cienie unii kościołnej w Polsce w XVII-XVIII w. w swietle źródeł archiwalnych*, Lublin 1939.
- KRAČKOVSKIJ J. T., *Ocerki unijatskoj cerkvi*, (Čt., 1871, II, pag. 1-150, II pag. 151-282; 1876, III, pag. 283-342, IV, pag. 343-404).
- LAEMMER H., *In decreta Concilii Ruthenorum Zamosciensis animadversiones theologico-canonicæ*, Freiburg in Br. 1865.
- LESCOEUR L., *L'Eglise catholique en Pologne sous le gouvernement russe*, Paris 1860.
- LIKOWSKI E., *Historya Unii Kościola Ruskiego z Kościolem Rzymskim*, Poznań 1878.
- *Dzieje Kościola Unickiego na Litwie i Ruśi w XVIII i XIX stuleciu*, I-II, Warszawa 1906, (2 ed.).
- LORET M., *Kościół katolicki a Katarzyna II (1772-1784)*, Warszawa 1910.
- LOBODYCZ R., *Zracińja Zamojskoho Synodu dla ukrajinskoj zjedynenoji cerkvy*. (Unijnyj Zjizzd u Lwovi, Praci Boh. Nauk. Towarystwa, tom. XI-XII, pag. 78-86), Lviv 1938.
- LUB I., *Značinja Zamojskoho Soboru v istoriji Uniji*, (Dobryj Pastyr, II/1932, pag. 111-120, 184-193, 273-282).
- (MYŠKOVSKIJ Th.) *Naš obrjad i oblatinenije jeho*, Lvov 1913.

- ODINCOV N. Th., *Unijatskoje bogosluženije v XVII-XVIII v. po rukopisjam Vilenskoj publicnoj biblioteki.* (Litovskija Jeparchijalnyja vědomosti, 1886, pag. 186ss. - 350).
- PAVLOVIČ M., *Georgij Konisskij, archiepiskop mogilevskij,* (Chr. Č., 1873, I pag. 1646).
- PAVLOVIČ S. K., *Opty istoriji Zamosceskago unijatskago Provincijalnago Sobora* (1720 god), Grod-na 1904.
- PELESZ J., *Geschichte der Union der ruthenischen Kirche mit Rom.* II, Wien 1880.
- PETROV N., *Kratkija izvěstija o položeniji Basilijskago Ordena i raznych pereměnach v jeho upravleniji ot 1772-1811 g.*, (TKDA, 1868, III, 147-168, IV, 100-144, 245-302).
- *Očerk istoriji Bazilijskago Ordena v byvšej Pošse,* (TKDA, 1870-1872).
- PIERLING P., *La Russie et le Saint Siège,* t. V., Paris 1912.
- Podreczna Encyklopedia Kościelna, t. XXIII-XXIV, Warszawa 1911.
- POPOV N., *Sudby uniji v russkoj Cholmskoj jeparchiji.* (PrO, 1874, I pag. 442-466, 542-566, 635-673; II pag. 64-85, 194-225).
- Poučenije o obrjadach christijanskich,* Počajev 1779.
- PRASZKO J., *Vicssitudines ritus byzantino-slavicæ saec. XVII in Ecclesia Ruthena catholica. Appendix. (De Ecclesia Ruthena catholica sede metropolitana vacante 1655-1665,* Romae 1944, pag. 249-308).
- RAES A. S. J., *Le Rituel Ruthène depuis l'Union de Brest,* (OCP, I 1935, pag. 361-392).
- *Le Liturgicon Ruthène depuis l'Union de Brest,* (OCP, VIII 1942, pag. 95-143).
- *De forma liturgiae slavæ: Ruthenæ et Russicæ.* (Acta VII Conventus Velehradensis, Olomouc 1937, pag. 83-90).
- RODOTA' P. P., *Dell'origine, progresso e stato presente del rito greco in Italia, I-III,* Roma 1758-1763.
- SAPUNOV A., *Istoričeskija sudby Polockoj jeparchiji,* Vitebsk 1889.
- ŠAVELSKIJ I., *Posledneje vozsojeninenije s pravoslavnou cerkovju unijatov Běborusskoj jeparchiji* (1883-1839), S. Petersburg 1910.
- ŠČURAT V., *V oboroni Potjevoji Uniji,* Lviv 1929.
- SWIDERSKIJ L., *Joann Krassowskij, Polockij archijepiskop,* Vitebsk 1911.
- SZANTYR E., *Zbiór wiadomości o Kościele i Religii Katolickiej w Cesarstwie Rosyjskim, a szczególnie w prowincjach od Polski przyłączonych od czasu pierwszego rozbioru Polski,* Poznan 1843.
- THEINER A., *Die neuesten Zustände der katholischen Kirche beider Ritus in Polen und Russland seit Katharina II bis auf unsere Tage,* Augsburg 1841.
- TOLSTOJ D., *Rimskij katolicizm v Rossiji,* I-II, S. Petersburg 1876.
- *Josif, mitropolit litovskij i vozsojeninenije unijatov s pavoslavnou cerkovju v 1839 g.*, (Žurnal ministerstva narodnago prosvěcenija, 1869, 10, pag. 233ss).
- Zapiski Josifa, mitropolita litovskaho, I, S. Petersburg 1883.
- Zapiski Vasiliya Lužinskago achijepiskopa Polockaho, (PrS., 1884-1885).
- ZNOSKO K., *Latinizacija Pravoslavnago Bogosluženija v Unijatskoy cerkvi,* Varšava 1932.

III. Sigla et abbreviations

APF	= Archivium S. Congregationis de Propaganda Fide
AS	= Archeografičeskij Sbornik dokumentov otnosiasčichsia k istoriji Sěvero-Zapadnoj Rossiji.
ASV	= Archivium Secretum Vaticanum.
AVAK	= Akty izdavajemyje Vilenskoju Archeograficесkoju Kommisijeju.
Chr. Č.	= Christijanskoje Čtenije.
Čt.	= Čtenija v imperatorskom Obščestvě istoriji i drevnostej rossijskich pri moskovskom universitetě.
CV	= Cerkovnyj Věstnik.
OCP	= Orientalia Christiana Periodica.
PrO	= Prasvoslavnoe Obozreñije.
PrS	= Pravoslavnyj Sobesiednik.
PSZRI	= Polnoje Sobranije Zakonov Rossijskoj Imperiji.
SPRZ	= Synodus Provincialis Ruthenorum habita in civitate Zamosciae anno 1720, Romae 1883 (3 ed.).
SRIO	= Sbornik Russkago Istoričeskago Obščestva.
TKDA	= Trudy Kievskoj Duchovnoj Akademiji.

I N T R O D U C T I O

INTRODUCTIO

Antequam de ipso opere reformationis liturgicae Heraclii Lisowskyj sermonem instituemus, dicenda sunt quaedam de eius vita, de circumstantiis politico-ecclesiasticis, in quibus vitam egit, necnon de vanis conaminibus reformandi liturgiam ruthenam quae immediate eius opus praecesserant et quandam nexus cum eodem ostendunt. De hisce tractabimus in praesenti INTRODUCTIONE, quae duo capita comprehendit: In primo nonnullae notitiae biographicae de Heraclio Lisowskyj collectae sunt, in altero vero de reformatione liturgica ante Heraclium Lisowskyj sermonem facimus.

CAPUT I.

Notae biographicae de Heraclio Lisowskyj (1734 - 1809)

1. *Status Ecclesiae Ruthenae tempore H. Lisowskyj.* - 2. *De eius vita ante episcopatum.* - 3. *De eius vita et gestis post elevationem ad sedem archiepiscopalem Polocensem.*

1. Tempora, in quibus Heraclius Lisowskyj vivere et suam activitatem exercere debuit, ad duram et tristem Ecclesiae Ruthenae periodum pertinent. Vita enim et activitas H. Lisowskyj coincidit cum periodo persecutionis Ecclesiae Ruthenae in imperio Rossiaco.

Haec periodus incipit a tribus divisionibus regni Poloniae et Lithuaniae (1772, 1793, 1795), quae hanc funestissimam sequelam secum tulerunt, quod Ecclesia Ruthena suam antiquam unitatem hierarchicam amisit et in varios Status divisa est. Galicia, quae in dominium Austriae transiit, excepta, maior pars dioecesium provinciae metropolitanae Kiovensis imperio Rossiaco incorporata est. Sic potestas metropolitana, symbolum unitatis Ecclesiae Ruthenae, de facto existere cessavit.

Jam post primam Poloniae divisionem (1772) Ecclesia Ruthena in imperio Rossiaco duram existentiam agere coepit. Annis 1780-1784 signa futurae persecutionis clare apparent. Post secundam Poloniae divisionem (1793) persecutio Ecclesiae Ruthenae sub ditione Rossiae aperte prorumpit. Imperatrix Catharina II (1762-1796) dignitatem metropoli-

tanam et sedes episcopales violenter suppressit (1795), simulque eius ius-
su Ecclesia statalis Orthodoxa famosam actionem « reunionis » Ecclesiae Ruthenae cum Ecclesia schismatica (1794-1796) promovere coepit. Fraude et violentia adhibitis destruitur Ecclesia Ruthena in tota fere Ukraina necnon multis in regionibus Alborussiae et Lithuaniae. Post mortem Catharinae II (1796) situatio Ecclesiae Ruthenae aliquatenus melior evadit. Successores Catharinae II: imperator Paulus I (1796-1801) et Alexander I (1801-1825) favorabiliore erga Ecclesiam Ruthenam sese prae-
buerunt, etsi persecutio minime evanuerunt. Accedunt multae perturbationes internae in ipso sinu Ecclesiae Ruthenae et dissidium cum Ecclesia Catholica Ritus Latini (1801-1806). Haec omnia statum Ecclesiae Ruthenae in imperio Rossiaco magis magisque debiliorem reddunt.¹

In hisce politico-ecclesiasticis circumstantiis ponenda est vita et acti-
vitas Heraclii Lisowskyj, Archiepiscopi Polocensis. Quae circumstantiae semper pree oculis habendae sunt, si de eius opere et praesertim de acti-
vitate eius sive in campo liturgico sive in aliis vitae ecclesiasticae provi-
nciis rectum et impartialie iudicium pronuntiari debet. Videbimus pos-
tea, quantum influxum memoratae conditiones Ecclesiae Ruthenae in
ideas et gesta Archiepiscopi Polocensis exercuerint.

Cum de Heraclio Lisowskyj nulla hucusque extet scientifica biogra-
phia, notitiae de eius vita ex variis fontibus nobis colligendae sunt.

2. Heraclius, in saeculo Josephus Odrowaz-Lisowskyj natus est anno 1734 in parvo oppido Ušač, in districtu Lepel in Alborussia.² Provenie-
bat ex familia nobili, quae vero in decursu temporis ad paupertatem redacta est.³ Pater Heraclii Josephus Lisowskyj parvum habuit patrimo-
nium. Mater vero Constantia, soror germana ultimi Archiepiscopi ru-
theni Smolessensis Josephi Lepkowskyj (+ 1778), originem duxit ex
nobili familia Lepkowskyj. Cum parentes catholici Ritus Latini essent,
etiam puer baptismum secundum Ritum Latinum recepit et permansit
in eo Ritu usque ad suum ingressum in Ordinem Basilianum Rutheno-
rum.⁴

Scholam frequentavit Heraclius in Ušač apud PP. Dominicanos.⁵
quam excellenter absolvit.⁶ Iuvenis adhuc amorem erga Ritum Ruthen-
um et inclinationem ad res liturgicas manifestabat, cuius rei testimo-

¹ De statu Ecclesiae Ruthenae exeunte saeculo XVIII et ineunte XIX consulantur auctores:
A. THEINER, *Die neusten Zustaende der katholischen Kirche beider Ritus in Polen und Russland seit Katharina II, bis auf unsere Tage*, Augsburg 1841, pag. 293-338. — M. HARASIEWICZ, *Annales Ecclesiae Ruthenae*, Leopoli, 1862, pag. 830-876. — E. LISOWSKI, *Historya Unii Kościola Ruskiego e Kościołem Rzymskim*, Poznań 1878, pag. 143-166; — IDEM, *Dzieje Kościola Unickiego na Litwie i Rusi w XVIII i XIX stuleciu*, 1611, Warszawa 1906 (2^a ed.), I, pag. 169-191, II, pagina 7-42. — PELESZ J., *Geschichte der Union der ruthenischen Kirche mit Rom*, II, Wien 1880, pag. 548-560, 583-596. — A. AMMANN, *Storia della Chiesa Russa e dei paesi limitrofi*, Torino 1948, pag. 383ss.

² *Podreczna Encyclopedya Kościelna*, t. XXIII-XXIV, Warszawa 1911, pag. 360. De die et
mense nativitatis H. Lisowskyj nihil invenire potuimus.

³ IBID.

⁴ *Zapiski Vasilija Lužinskago Archiepiskopa Polockago*, (PrS.) 1884, IV, pag. 182.

⁵ *Podreczna Enc. Kośc.*, pag. 360.

⁶ *Zapiski...*, pag. 183.

nium esse potest, quod diebus Dominicis et Festis non ecclesiam Ritus Latini frequentabat, sed sese ad ecclesiam Basiliatorum conferebat et hic una cum monachis in Officio Divino participabat.⁷

Schola absoluta Ordinem Basiliatum Ruthenorum in urbe Polociae ingreditur.⁸ Hic in monasterio ad ecclesiam cathedralem S. Sophiae vestem religiosam sub novo nomine Heraclij assumpsit. Post novitiatum in eodem monasterio professionem religiosam fecit et cursum philosophico-theologicum studiorum cum excellenti successu absolvit.⁹

Post ordinationem sacerdotalem varia in Ordine munera obibat.¹⁰ Per aliquod tempus munus Superioris in monasterio Polocensi obtinet, inde transfertur Oršam, ubi factus est Superior in monasterio, recenter ab eius avunculo Josepho Lepkowskyj, Archiepiscopo Smolescensi fundato.¹¹

Quo tempore locum habet prima Poloniae divisio (1772), vi cuius archidioecesis Polocensis una cum parva archidioecesi Smoloscensi imperio Rossiaco incorporatur. Insuper etiam aliqui decanatus ex dioecesi metropolitana Kiovensi (Rohač et Homel) sub dominium Rossiacum transeunt. In archidioecesi Polocensi tunc Archiepiscopus Jason J. Smogorzewskyj (1762-1780) pastor extabat.

Anno 1776 Heraclius Lisowskyj a suo avunculo in Abbatiam Onuphriensem vocatus et in Abbatem Coadiutorem promotus est.¹² Cum vero brevi tempore Archiepiscopus Smolescensis J. Lepkowskyj gravi morbo correptus fuerit, Jason Smogorzewskyj commisit Heraclio Lisowskyj regimen Abbatiae Onuphriensis (1778).¹³ Eodem tempore Arch. J. Smogorzewskyj de creatione novae dioeceseos in Alborussia cum sede episcopalni in Mstislavia cogitabat, ut hoc modo administrationi vastissimae dioecesis Polocensis melius provideri posset. In hac nova dioecesi J. Smogorzewskyj Coadiutorem habere desiderabat H. Lisowskyj.¹⁴ Dum causa creationis novae dioecesis coram Nuntio Varsaviensi et Gubernio Rossiaco ageretur, J. Lepkowskyj, Archiep. Smolescensis et Abbas Onuphriensis e vita migravit,¹⁵ et H. Lisowskyj in Abbatem Onuphriensem est promotus. Contra hanc promotionem, quae a J. Smogorzewskyj sine praevio consensu Protoarchimandritae Basiliatorum facta fuerat, Or-

⁷ *Zapiski...*, pag. 182-183.

⁸ *Zapiski...*, pag. 183; *Podreczna Enc. Kośc.*, pag. 360. Quo anno, mense et die H. Lisowskyj Ordinem Basiliatum ingressus fuerit, invenire non potuimus.

⁹ *Zapiski...*, pag. 183.

¹⁰ Annus, mensis et dies ordinationis sacerdotalis H. Lisowskyj nobis ignotus est.

¹¹ ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 145, fol. 313; et t. 147, fol. 482.

¹² ASV, ARCH. NUNZ. VARS. t. 147, fol. 482v. In sua epistula 29-XI-1776 ad Nuntium Varsaviensem Archetti arch. Lepkowskyj certiore facit eundem Nuntium, se nominavisse in Coadiutorem Abbatiae Onuphriensis Heraclium Lisowskyj, Superiorem Oršanensem «virum spectatae virtutis».

¹³ *Epistula J. Smogorzewskyj 1 (12) Julii 1778 ad Her. Lisowskyj*, ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 145, fol. 308.

¹⁴ *Epist. J. Smogorzewskyj ad Nuntium Archetti 8-III-1779*, ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 147, fol. 302v.

¹⁵ Lepkowskyj mortuus est die 2-IX-1778 (Cfr. ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 145, fol. 290).

do Basilianorum in persona P. Benedicti Eliaševič, Secretarii provinciae lithuaniae surrexit.¹⁶

Quae controversia denique pacifice, Protoarchimandrita Porphyrio Skarbek-Ważynskyj interveniente, ita composita est, ut Protoarchimandrita ipse recursum pro convalidatione illegitimae promotionis Heraclii Lisowskyj ad Sedem Apostolicam faceret. Convalidatio concessa est per decretum S. Congregationis de Propaganda Fide, die 26-11-1780 datum.¹⁷ Attamen omnes Archiepiscopi J. Smogorzewskyj coram Gubernio Rossiaco pro promotione Heraclii Lisowskyj in suum Coadiutorem instantiae nullum habuerunt successum.¹⁸

Anno 1780 archiep. Polocensis J. Smogorzewskyj in Metropolitanum Kiovensem et totius Russiae eligitur. Electus ad sedem metropolitanam, quae adhuc in regno Poloniae inveniebatur, J. Smogorzewskyj cathedram Polocensem relinquere et sese in Polonię transferre debuit.¹⁹

Egressus Archiepiscopi J. Smogorzewskyj e Polocia sequelas habuit funestas. Polociae J. Smogorzewskyj episcopum Chelmensem Maximiliani Ryllo sibi successorem habere volebat, cui proposito etiam imperatrix Catharina II. annuit, sed M. Ryllo spreta invitatione ad sedem Polocensem nominationem in episcopum Peremisiensem, in ditione Austriae, obtinuit.²⁰ Hic passus imperatricem Catharinam II. valde exacerbavit ideoque sedem Polocensem vacantem declaravit et regimen illius tum in spiritualibus tum in temporalibus Consistorio tradidit, quod e tribus monachis Basilianicis: P. Ambrosio Kiriatt, P. Innocentio Milanowskyj et Abbe Onuphriensi P. Heraclio Lisowskyj constabat.²¹

Consistorium Polocense, cuius caput H. Lisowskyj erat, plus quam per tres integros annos (a mense Augusto 1780 usque ad Januarium 1784) archidiaecesim Polocensem administrabat.²² Positio Consistorii valde difficilis erat. Situatio Ecclesiae Ruthenae facta est valde gravis.²³ Spargebantur notitiae de imminenti suppressione dioeceseos Polocensis

¹⁶ IBID., fol. 311-312, et t. 147, fol. 301-303.

¹⁷ Decretum extat in AVAK, t. XVI, pag. 238-239.

¹⁸ Cfr. Responsum Comitis de Cernyšev ad J. Smogorzewskyj 2 (13)-VI-1779, ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 145, fol. 323v.

¹⁹ Demissio a sede Polocensi communicata est archiepiscopo J. Smogorzewskyj per mandatum imperiale die 2-VII-1780. Cfr. PSZRI, t. 20, N. 15028, pag. 953-954, et AVAK, t. XVI, pagina 665-666.

²⁰ GAGARIN J., *Un nonce du pape à la cour de Catherine II, Mémoires d'Archetti*, Paris-Bрюссель 1872, pag. 131-134.

²¹ Copia respectivi decreti imperialis in lingua latina invenitur in APF, *Scritt. Rif. Congr. Mosc. Pol. Rut.*, t. 14, fol. 173-174. Idem decretum in lingua russica extat in AVAK, t. XVI, pag. 327-328.

²² Metropolitanus J. Smogorzewskyj die 7(18)-VIII-1780, membris Consistorii necessariam iurisdictionem contulit (Cfr. APF, *Scritt. Rif. Congr. Mosc. Pol. Rut.*, t. 14, fol. 177-178) et Sedem Apostolicam de gravi situatione Ecclesiae Ruthenae in Polonia certiore fecit. Cfr. eius epistulam ad Rom. Pontificem Pium VI, die 30-VIII-1780, (APF, *ut supra*, t. 14, fol. 357).

²³ De situatione Ecclesiae Ruthenae in Imperio Rossiaco ita ipse H. Lisowskyj in epist. 25-IX-1780 ad J. Smogorzewskyj refebat: «In maximis versamur calamitatibus, nulla ex parte auxilium, nullamque defensionis nostrae spem habemus, nisi in sola Dei misericordia», (ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 145, fol. 124v).

et de totali destructione S. Unionis. Revera imperatrix Catharina edicto omnem communicationem Consistorii et universi cleri Polocensis cum suo Metropolitano in Polonia prohibuit decrevitque, ut in casu mortis aut occasione institutionis parochorum populus ipse interrogaretur, utrum in S. Unione remanere an sese cum Ecclesia Orthodoxa « reunire » mallet. Statim magna pressio ex parte Schismaticorum coepit, qui partim fraude et minis, partim violenter populum ad Ecclesiam Orthodoxam pertrahere conabantur. Hoc modo plures parochiae Ecclesiae Ruthenae a S. Unione avulsae sunt et nonnulli ex clero apostataverunt.²⁴

Membra Consistorii Polocensis iam de ipsa existentia Ecclesiae Ruthenae desperabant.²⁵ H. Lisowskyj Metropolitanum J. Smogorzewskyj in auxilium vocavit.²⁶ Sed frustra tum Metropolitanus, tum Nuntius Varsaviensis, tum denique ipse Romanus Pontifex Pius VI apud Gubernium Rossiacum pro nominatione novi Archiepiscopi Polocensis instantias faciebant.²⁷ Pius VI tres epistulas ad imperatricem Catharinam II direxit, quibus insistebat, ut pro archidioecesi Polocensi novus pastor nominaretur, qui melius necessitatibus dioecesos providere posset quam Consistorium viris dignitate episcopali parentibus compositum. Ad has tam iustas praeces Catharina II. evasive respondebat et nominationem Episcopi pro cathedra Polocensi differebat.²⁸

Quarto demum sedisvacantiae anno imperatrix praecibus Summi Pontificis cessit. Anno 1783-1784 Petropoli Legatus Summi Pontificis J. A. Archetti²⁹ degebat, qui denique pro archidioecesi Polocensi novum pastorem obtinuit. Mense Januario anni 1784 imperatrix Abbatem H. Lisowskyj ad cathedram archiepiscopalem Polocensem promovit. Archetti decisionem hanc accepit « gaudio pene exultans, quod videret filiarum partium catholicos ex multa demum iactatione portui appropinquare ».³⁰

Consecrationem episcopalem accepit H. Lisowskyj die 18-IV-1784 per manus Episcopi Pinscensis Gedeonis Horbackyj, qui a Nuntio Archetti ex Polonia Polociam venire iussus fuit.³¹

3. Post promotionem ad sedem archiepiscopalem Polocensem nova periodus in vita Heraclii Lisowskyj incipit.

²⁴ ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 145, fol. 381.

²⁵ « Sors Unitorum iam est determinata » scribebat membrum Consistorii P. Milanowskyj ad J. Smogorzewskyj 26-I-1781, ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 145, fol. 395.

²⁶ IVID., fol. 124.

²⁷ AVAK, t. XVI, pag. XXX-XXXII, 325.

²⁸ Commercium epistulare inter Pium VI et Catharinam II invenitur in APF, *Scritt. Rif. Congr. Mosc. Pol. Rut.*, t. 14, fol. 248-249, 480-483, 504-508, et t. 15, fol. 62-65, 100rv. Cfr. etiam SRIO, 1^a (1867), pag. 502, 505-508, 529-530.

²⁹ GAGARIN J., *Un nonce du pape à la cour de Catherine II*, et PIERLING P., *La Russie et le Saint Siège*, Paris 1912, t. V, pag. 80-176.

³⁰ GAGARIN, *op. cit.*, pag. 190. Ipse Archetti sustinebat candidaturam P. Porphyrii Wazynskyj OBSM, ex-Protoarchimandritae, qui etiam a Metropolitano Russiae et Rege Poloniae sustinebatur. Sed imperatrix noluit « extraneo », id est subdito regis Poloniae episcopatum in suo Imperio conferre. (GAGARIN, *op. cit.*, pag. 134).

³¹ GAGARIN, *op. cit.*, pag. 190-191; Cfr. etiam APF, *Scritt. Congr. Mosc. Pol. Rut.*, t. 15, fol. 377rv., et ASV, NUNZ. POL., *Addit.*, t. 19, non pag. (Carte di Archetti).

Primis sui episcopatus annis (1785-1788) duae res animum eius praecipue occupant, id est reformatio liturgica et controversia cum Metropolitano J. Smogorzewskyj de bonis cathedrae Polocensis.³² De reformatio liturgica postea fusius tractabitur ac proinde non est, cur hic immoremur.

Quod vero controversiam de bonis cathedrae Polocensis attinet, revocandum est in memoriam, quod post primam Poloniae divisionem (1772) non tota archidioecesis Polocensis sub dominium Rossiacum transiit, sed quaerad pars adhuc in Polonia remanserat. H. Lisowskyj etiam huius partis dioecesos legitimum pastorem sese existimabat, ac proinde eius administrationem tum in spiritualibus tum in temporalibus reclamabat.³³ Sed Metropolitanus J. Smogorzewskyj etiam post suum egressum e Polocia regimen huius partis dioecesos in Polonia sitae retinuit nec eam H. Lisowskyj cedere voluit. Causam Metropolitani sustinebat Rex Poloniae, dum pro Heraclio Lisowskyj non solum Gubernium Rossiacum, sed etiam Nuntius Varsaviensis et Sedes Apostolica partes tenebat, quae tamen Archiepiscopum Polocensem ad conciliacionem cum Metropolitano invitabat.³⁴

In regimine suae dioecesos H. Lisowskyj maximam curam habuit, ut Ecclesia Ruthena sub dominio Rossiaco pacem et libertatem recuperaret. Meritum eius erat, quod amicitia fruens Principis G. Potemkin, illam pro bono Ecclesiae Ruthenae verti intellexit. Princeps Potemkin, Protector catholicorum in imperio Rossiaco, magno influxu et favore apud imperatricem Catharinam II gaudebat. Huic Archiepiscopi Polocensis cum Potemkin amicitiae debetur hoc, quod oppressio Ecclesiae Ruthenae ex parte Schismaticorum cessavit et quod Ecclesia haec per aliquot tempus pace iterum fruebatur.³⁵

Hanc pacem paulisper turbavit nova controversia, quam H. Lisowskyj cum Basiliensis annis 1787-1791 habuit. Agebatur de iurisdictione Archiepiscopi Polocensis supra Basilianos. Haec iurisdictione competebat ei non solum vi edicti imperialis,³⁶ sed imprimis ex facultatibus a Sede Apostolica concessis.³⁷ Monachi accusabant H. Lisowskyj, quod limites suae iurisdictionis transgressus esset ac despotice sese cum monachis gessisset.³⁸ Certum est hac in controversia ex utraque parte nimjam fuisse

³² Fusius de hac controversia habet J. KRAČKOWSKI in praefatione ad AVAK, t. XVI, pag. XLIII-XLVIII. Cfr. etiam ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 149, fol. 548-567v.

³³ IBID., fol. 548-567v.

³⁴ IBID., fol. 542-543 et 562. Cfr. etiam AVAK, t. XVI, pag. 357.

³⁵ De benevolentia Gubernii Rossiaci erga Ecclesiam Ruthenam post promotionem H. Lisowskyj ad sedem archiepiscopalem Polocensem scribit ipse Lisowskyj in epistula ad S. Congr. de Prop. Fide 28-XII-1786, APF, *Scritt. Rif. Congr. Gen.*, t. 876, fol. 353.

³⁶ Imperatrix Catharina II omnes monachos Ruthenae Ecclesiae iurisdictioni Archiep. Polocensis subiecit. Cfr. edictum diei 7-I-1785 in PSZRI, t. XXII, N. 16122., pag. 277. Cfr. etiam AVAK, t. XVI, pag. 6.

³⁷ Iurisdictione supra monachos concessa est Heraclio Lisowskyj per decretum S. Congregationis de Prop. Fide die 14-V-1785 (ad triennium) et iterum renovata fuit (ad quinquennium) decreto eiusdem Congregationis die 23-VI-1788. (Cfr. APF, *Decreti di S. Cong. Pr. Fide*, t. 4, fol. 270-271v., et fol. 404-405v.).

³⁸ APF, *Scritt. Rif. Congr. Gen.*, t. 885, fol. 275-278v.

animositatem. Causa usque ad aulam Petropolitanam et Sedem Apostolicam pervenit.³⁹ Petropoli primo monachi favore Gubernii Rossiaci gaudebant, sed denique H. Lisowskyj victoriam obtinuit.⁴⁰

Principe Potemkin mortuo (+ 1791) H. Lisowskyj suum protectorem amisit et pro Ecclesia Ruthena iterum tempus persecutionis venit. Post secundam (1793) et praecipue post tertiam (1795) Poloniae divisionem iurisdicatio auctoritasque Heraclii Lisowskyj valde crevit. Nam sedibus episcopalibus et ipsa dignitate metropolitana suppressis H. Lisowskyj per aliquot annos (1795-1798) solus Ecclesiam Ruthenam in imperio Rossiaco administrabat eiusque iurisdictioni vastae regiones Lithuaniae, Alborussiae, Volinia et Ukraine subditae erant.⁴¹ Attamen eodem tempore Ecclesia Ruthena violentiam passa est et maior numerus dioecesium «reunionem» cum Ecclesia Orthodoxa statali accipere coactus est. Ipse H. Lisowskyj epistulam pastoralem publicare debuit, in qua iussu imperatricis clerum suum monuit, ne quis eorum quaecumque obstacula ponere, aut quo cumque modo «reunionem» Ruthenorum cum Ecclesia dissidenti impedire auderet.⁴²

Dum status Ecclesiae Ruthenae in dies tristior fiebat, mortua est imperatrix Catharina II (+1796). Eius filius et successor Paulus I (1796-1801) modum agendi cum Ecclesia Ruthena aliquatenus mitigavit. Oppressio ex parte Schismaticorum paululum remissa est, et duae dioeceses (Luceoriensis et Brestensis) iterum sunt restabilitae,⁴³ quamquam dignitas metropolitana suppressa permansit.

Ad tractanda negotia Ecclesiae catholicae cum novo imperatore a Papa Pio VI missus est Petropolim Nuntius Varsaviensis L. Litta.⁴⁴ Eius auxilium H. Lisowskyj invocabat et ad eundem plures epistulas scripsit.⁴⁵

³⁹ De hac controversia actum est in Congregatione Generali Cardinalium S. Congr. de Prop. Fide die 15-III- 1790. Etsi nulla est facta decisio, statutum erat: «monendum esse Archiepiscopum Polocensem, ut mitius se gerat erga Monachos, neque excedat facultates sibi concessas a Summo Pontifice», APF, *Scritt. Rif. Congr. Gen.*, t. 885, fol. 263.

⁴⁰ Decreto imperiali die 12-XII-1793 dato PP. Basiliiani A. Kiriat et H. Doroševskyj pro ut «principales culpabiles» insubordinationis erga H. Lisowskyj ex Imperio Rossiaco expulsi sunt. (Cfr. PSZRI, t. 23, N. 17168, pag. 476, et AVAK, t. XVI, pag. 6). De hac controversia tractat fuisus L. SWIDERSKIJ, *Joann Krassovskij, Polockij Unijatskij Archiepiskop*, Vitebsk 1911, pag. 119-120.

⁴¹ Hoc factum est per decretum imperiale die 6-IX-1795, Cfr. PSZRI, t. 23, N. 17384, pagina 772-773, et AVAK, t. XVI, pag. 12-13. Sedes Apostolica novum rerum statum agnoscere debuit et die 22-I-1796 archiepiscopo H. Lisowskyj necessariam contulit iurisdictionem super «omnes christifideles Rutheni Ritus etiam Ecclesiasticos tam Saeculares quam Regulares quamdiu legitimorum Episcoporum et Superiorum Regularium potestas et iurisdictione super ipsis exerceri non possit», (ASV, NUNZ. POL., t. 344/III, fasc. 93).

⁴² Haec epistula pastoralis publicata est die 3-XI-1795. Textus russicus habetur in AVAK, t. XVI, pag. 562-563, traductio vero latina in ASV, NUNZ. POL., t. 344/III, fasc. 93. (Folia spectantia ad Archiepiscopum Polocensem H. Lisowskyj).

⁴³ Per decretum imperiale die 28-IV-1798 divulgatum, PSZRI, t. 25, N. 18503, pag. 222, et AVAK, t. XVI, pag. 15. Papa Pius VI novas erectiones ab imperatore factas die 18-XI-1798 per decretum «*Maximinis undique pressi...*» agnovit et approbavit.

⁴⁴ M. J. ROUËT DE JOURNEL, *Nonciature de Litta* (1797-1799), Città del Vaticano 1943.

⁴⁵ Hae epistulae inveniuntur in ASV, NUNZ. POL., t. 344/III, fasc. 93, (Folia spectantia ad Archiepiscopum Polocensem H. Lisowskyj).

Sed Legatus L. Litta in genere Archiepiscopo diffidebat et in suis relationibus Romam missis de eo minus favorabiliter loquebatur.⁴⁶ Severe iudicabat Archiepiscopum etiam novus Legatus Th. Arezzo a Papa Pio VII ad imperatorem Alexandrum I (1801-1825) missus.⁴⁷

Praeter inclinationem ad schisma Archiepiscopo nimia animositas contra monachos Basilianos obiciebatur. Nam antiqua controversia Archiepiscopi cum Basilianis tempore Alexandri I iterum exorta est.⁴⁸ Praeterea nova controversia cum catholicis Ritus Latini accessit, cuius ansam numerosi transitus fidelium Ritus Rutheni ad Ritum Latinum annis 1801-1803 dederunt.⁴⁹ H. Lisowskyj magno zelo agebat, ut fideles et sacerdotes illegitime ad Ritum Latinum pertracti, ad suum pristinum Ritum redirent.

Iurium Ecclesiae Ruthenae tuendorum causa H. Lisowskyj suum plenipotentiarium, Joannem Krasowskyj, archipresbyterum Polocensem, Petropolim misit. Krasowskyj haec negotia tum cum Legato Apostolico Th. Arezzo tum cum Gubernio Rossiaco tractabat.⁵⁰ Per suum plenipotentiarium H. Lisowskyj Legato Apostolico suas ideas de Unione Ecclesiarum exposuit. Secundum H. Lisowskyj unio Ecclesiae Orthodoxae Rossiacae facilime fieri posset, si pro fundamento unionis famosi articuli a doctoribus Academiae Sorbonensis elaborati ponerentur.⁵¹ Ab unione Ecclesiae Rossiacae cum Sede Apostolica H. Lisowskyj multum expectabat, imprimis vero meliorationem conditionis Ecclesiae Ruthenae.

Sed reclamatio articulorum Sorbonensium, qui in nonnullis punctis gallicanismum redolebant, suspicione Legati Th. Arezzo erga H. Lisowskyj ulterius auxerunt.⁵² Male visa est etiam apud Legatum peregrinatio ad Terram Sanctam, quam H. Lisowskyj anno 1803 suscepit.⁵³ Legatus accusabat Archiepiscopum Romae, quod sine praevia licentia Summi Pontificis diocesim suam deseruisse, et legem residentiae violavisset

⁴⁶ ROUËT DE JOURNAL, *op. cit.*, pag. 33, 441.

⁴⁷ ROUËT DE JOURNAL, *Nonciature d'Arezzo* (1805-1806), I-II, Roma 1922, 1927, praesertim vol. II, pag. 449-450.

⁴⁸ Fusius de hac controversia tractant auctores: LIKOWSKI E., *Dzieje Kościola...*, II, pag. 21-22, 25-28; J. KRAČKOVSKIJ in AVAK, t. XVI, pag. LXXIII-LXXXVIII (*Praefatio*); L. SWIDERSKIJ, *Joann Krassovskij Polockij Unijatskij Archiepiskop*, Vitebsk 1911, pag. 123-159; PEŁKO N., *Kratkaja izvěstija o položeniji Bazilijanskago Ordena i raznych premjenach v jeho upravlenii ot 1772-1811*, (TKDA, 1868, pag. 118, 123-131).

⁴⁹ Fusius de hoc habent auctores: LIKOWSKI E., *op. cit.*, II, pag. 16-17, et L. SWIDERSKIJ, *op. cit.*, pag. 41-70.

⁵⁰ De activitate J. Krasowskyj consulenda est monographia auctoris L. SWIDERSKIJ, *op. cit.*, Krasowskyj post mortem Heraclii Lisowskyj cathedralm Polocensem obtinuit (1809-1821).

⁵¹ Memoriale H. Lisowskyj ad Legatum Th. Arezzo habetur in ASV, NUNZ. POL., t. 344/III, fasc. 85, non pag. Textus gallicus articulorum Academiae Sorbonensis ex anno 1717 invenitur apud D. TOLSTOJ, *Rimskij katolicizm v Rossiji*, S₄ Petersburg 1876, I, pag. 399-410. Traductio nem latina eorundem articulorum exhibet ASV, NUNZ. POL., *Add.*, t. 21, (Dispacci a Mons. Archetti). Breve analysis articulorum Sorbonensium tradidit P. PIERLING, *La Sorbonne e la Russia* (1717-1747), Paris 1882.

⁵² ROUËT DE JOURNAL, *Nonciature d'Arezzo*, I, pag. 220-221.

⁵³ IBID., pag. 148-149.

in circumstantiis, quae potius praesentiam Archiepiscopi in dioecesi necessariam reddebant.⁵⁴

Iter in Terram Sanctam faciens Lisowskyj duas epistulas ad Romanum Pontificem scripsit, in quibus motiva suae peregrinationis exposuit, de statu Ruthenae Ecclesiae in imperio Rossiaco informavit, auxilium Summi Pontificis imploravit et denique suas de unione Ecclesiarum ideas iterum proposuit.⁵⁵

Sub fine anni 1803 H. Lisowskyj Polociam revertitur et iterum iura Ecclesiae Ruthenae apud aulam Petropolitanam defendit. Anno 1804 hoc Petropoli obtinuit, quod in sic dicto « Collegio Ecclesiastico Romano » etiam Ecclesia Ruthena membra repraesentantia habere potuit. Anno vero in sequente pro Ecclesia Ruthena « Departamentum » separatum institutum est, cuius praeses H. Lisowskyj nominabatur.⁵⁶

Eodem anno (1805) mortuus est Petropoli Theodosius Rostockyj, Metropolitanus Kiovensis et totius Russiae, qui, dignitate metropolitana a Catharina II suppressa, privatam vitam Petropoli agebat. Post eius mortem H. Lisowskyj apud aulam Petropolitanam iteratas fecit instantias, ut Ecclesia Ruthena iterum Metropolitanum habere posset. Eius praeses successum habuerunt. Anno 1806 imperator Alexander I metropolitanae dignitatē restabilivit et Heraclium Lisowskyj ad eam promovit cum titulo: « Metropolita Ecclesiarum Unitarum in Russia ».⁵⁷ Obtenta hac nominatione H. Lisowskyj statim variis viis canonicam suaē dignitatis confirmationem a Sede Apostolica sibi procurare conabatur, quam vero usque ad suam mortem obtinere non potuit.⁵⁸

In ultimis suaē vitae annis H. Lisowskyj multa pro clero saeculari fecit. Eius meritum est erectio seminarii diocesani (1806).⁵⁹ Magnum zelum ostendit, ut Ecclesia Ruthena in imperio Rossiaco suis iuribus frui

⁵⁴ Ibid., pag. 218-219. Arezzo nimis severe de itinere H. Lisowskyj iudicabat, ita ut ipse Cardinalis Consalvi, Secretarius Status, Archiepiscopum aliquatenus defendere et excusare debet. Cfr. *Nonciature d'Arezzo*, I, pag. 461-462.

⁵⁵ De prima epistula, scripta exente Julio 1803 ex Constantinopoli, scimus ex responso Summi Pontificis Pii VII die 22-VIII-1803 dato (APF, *Scritt. Rif. Congr. Mosc. Pol. Rut.*, t. 18, fol. 254rv.). Altera epistula, die 15-IX-1803 scripta, conservatur in ASV, NUNZ. PQL., t. 344/III, fasc. 85, non pag.

⁵⁶ LIKOWSKI E., *Dzieje...*, II, pag. 15-21.

⁵⁷ APF, *Scritt. Rif. Congr. Mosc. Pol. Rut.*, t. 18, fol. 477.

⁵⁸ Cfr. epistolam Abbatis Lochman Petropoli ad S. Congr. Prop. Fide, APF, *Scritt. Rif. Congr. Mosc. Pol. Rut.*, t. 18, fol. 539v. Nimis severe igitur iudicant nonnulli auctores de H. Lisowskyj affirmando eum non curasse, ut a Sede Apostolica suaē dignitatis confirmationem obtineret. Sic habet GATTI-KOROLEVSKIJ in opere: « *I riti e le chiese bizantine* », Genova 1942, I: « Come metropolita (Lisowskyj) doveva venire confermato dalla S. Sede: non si curò di ottenere questa conferma », (pag. 640), vel: « Eracio Lisowskyj, arcivescovo di Polotsk e Metropolita nel 1806, parteggiava per le idee giansenistiche, tanto che non si curò di chiedere alla Santa Sede la conferma della sua nomina fatta da Alessandro I », (pag. 760).

⁵⁹ LIKOWSKI E., *op. cit.*, II, pag. 36.

posset et a Gubernio non tamquam Ecclesia « secundi ordinis » tractaretur. Etiam in lecto mortis in suo testamento Gubernium Rossiacum exposcebat, ut Ecclesiae Ruthenae plenum favorem et protectionem concederet.⁶⁰

Mortuus est H. Lisowskyj die 30 Augusti 1809 senex 75 annorum in monasterio Onuphriensi, sua residentia Abbatiali.⁶¹ Sepultus in Strunie prope Polociam in antiqua residentia Archiepiscoporum Polocensium.⁶²

⁶⁰ L. SWIDERSKIJ, *op. cit.*, pag. 157-158.

⁶¹ *Zapiski...*, pag. 200-201.

⁶² *Ibid.*, pag. 201.

CAPUT. II.

De reformatione liturgica ante H. Lisowskyj (1720 - 1784)

1. *Synodus Zamostiensis eiusque decreta liturgica*. - 2. *Evolutio ritualis post Synodum Zamostensem*. - 3. *De conaminibus reformatoriis annis 1761-1765*. - 4. *De decretis liturgicis Synodi non-celebrati anni 1765*. - 5. *Garampi et reformatio liturgica anno 1776* - 6. *Tendentiae reformatoriae in quibusdam libris liturgicis in secunda medietate saeculi XVIII*.

Necessitas reformationis liturgicae in Ecclesia Ruthena iam ante H. Lisowskyj profunde sentiebatur. Nam evolutio Ritus Rutheni, adhuc medio saeculo XVII coepit, circa medium saeculum XVIII quasi culmen suum attigit et notabilem confusionem in celebratione S. Missae et in Sacramentorum administratione causavit. Multae innovationes et modificationes sensim sine sensu in caeremonias Ecclesiae Ruthenae irrepserunt, quae antiquam rituum observantiam haud leviter alteraverunt.

De causis, motivis circumstantiisque historicis, quae illam evolucionem determinaverunt, hoc loco tractare omittimus.¹ Hoc unice in praesenti capite ostendere volumus, quod iam ante adventum Heraclij Lisowskyj pluries saeculo XVIII de reformanda liturgia ruthena cogitatum fuerat et revera quaedam tentamina adfuerunt, quae ipsam reformationem Archiepiscopi Polocensis praeparaverunt.

1. Incipimus a Synodo Zamostensi, anno 1720 celebrata, in qua inter alia etiam de reformatione liturgica nonnulla sunt statuta. Saepe saepius huic Synodo, praesertim ab auctoribus dissidentibus obicitur, quod plurimas in Ritum Ruthenum novitates induxisset et ita viam « latinizationi » illius Ritus aperiuisset.² Non quidem negamus, hanc Synodum in

¹ Fusius hac de re tractant auctores: BOCIAN J., *modificationibus in textu slavico liturgiae S. Joannis Chrysostomi apud Ruthenos subintroductis* (Xrysostomika, Romae 1908, pag. 929-969); MYŠKOVSKIJ T., *Naš obrjad i oblatinenije jeho*, Lvov 1913; CHOJNACKIJ A., *Zapadnorusskaja cerkovnaja unija v eja bogosluženiji i obrjadach*, Kiev 1871; ODINCOV N., *O bogosluženiji uniatov w XVII i XVIII vv* (Litovskija Jeparchijalnyja Vjedomosti), Vilna 1886; KOROLEVSKIJ C., *L'Uniatisme*, Prieuré d'Amay sur Meuse 1927; RAES A., *De forma liturgiae slavac: Ruthenae et Russicae*, (Acta VII. Conventus Velehradensis, Olomouc 1937, pag. 83-90); IDEM, *Le Rituel Ruthene depuis l'Union de Brest*, (Orientalia Christiana Periodica, v. I, 1935, pag. 361-392); IDEM, *Le Liturgicon Ruthene depuis l'Union de Brest* (Or. Christ. Pers., v. VII, 1942, pagina 95-143); PRASZKO J., *De Ecclesia Ruthena Catholica sede metropolitana vacante 1655-1665*, Romae 1944: *Appendix: Vicissitudines ritus byzantino-slavici saec. XVII in Ecclesia Ruthena Catholica*, pag. 243-308; X, *O obrzedach grecko-byzantinnych*, Lwów 1862.

² Gfr. CHRUŠČEVIĆ G., *Istorija Zamojskago Sobora* (1720 goda), Vilna 1880; PAVLOVIĆ S., *Opyt istoriji Zamojskago Provincijalnago Sobora* (1720 god), Grodna 1904; J. KRAČKOVSKIJ, *Očerk Unijatskoj Cerkvi*, (Čtenija v Imper. Obšč. Istor. i Drevostej Ross, 1871, II, pag. 206-222, 1876, IV, pag. 373-404).

quibusdam praescriptis liturgicis a communi usu Ritus Byzantini recessisse, attamen non sunt silentio praetereunda alia statuta, ex quibus maxima cura de uniformitate liturgica introducenda clare apparet.

Synodus Zamostiensis ad confusionem in celebrandis sacris Officiis tollendam praecepit, ut typica librorum liturgicorum editio a Metropolitanu conficeretur et approbatione a Sancta Sede impetrata imprimetur.³ Omnes alias editiones, quae super memoratae editioni conformae non essent, locorum Ordinariis approbare Synodus vetuit.⁴ Quo modo Synodus uniformitatem diu desideratam in campo liturgico introduce-re⁵ et innovationes temere irrepsas excludere voluit.⁶

2. Iniunctam a Synodo Zamostensi librorum liturgicorum uniformem editionem nullus Metropolitanus Kiovensis in decursu saeculi XVIII in praxim deduxit. Post Synodum Zamostensem apparuerunt quidem in variis typographiis (Suprasliae, Vilnae, Leopoli, Unioviae et Počajoviae) multae librorum liturgicorum editiones, sed nulla earum secundum normam Synodi confecta est. Libri liturgici non solum sine praevia approbatione Sedis Apostolicae, sed nonnumquam etiam sine consensu Episcoporum edebantur. Porro variae editiones liturgicae nullo principio universali et constanti regebantur, sed saepe omnino ab arbitrio editorum dependebant. Generatim sequebantur varios usus liturgicos regionales, qui in vastis partibus Ecclesiae Ruthenae observari solebant.⁷

Ex defectu typicae librorum liturgicorum editionis paulatim magna disformitas exorta est. Dum ex parte Hierarchiae ruthenae debita cura de ordinatione et reformatione disciplinae liturgicae negligebatur, variae consuetudines ex industria et arbitrio privatorum hominum illegitime in Ritum Ruthenum introducebantur. Quo pacto caeremoniae in S. Missae celebratione et in Sacramentorum administratione necnon in aliis vitae liturgicae provinciis immutari, modificari et ad normam rubricarum et caeremoniarum Ritus Latinj conformari cooperunt.

3. Contra talem rituum confusionem, quae vel maxime circa medium

³ « Ne ulla in Divinorum peragendorum ordine sit confusio, aut discordia..., praecipit (S. Synodus), ut uno eodemque Rituall i nihil ei addendo, nec quidquam ex eo detrahendo Ecclesiae nostri Ritus utantur. Id autem Rituale Illustrissimus Metropolitanus componi, et a Sancta Sede approbatum imprimi, ac distribui aequo pretio pro suo Pastorali studio curabit » (SPRZ, Tit. III, *De Sacramentis eorumque administratione*, pag. 61-62).

⁴ « Placuit tamen, ut Missalia, Ritualia, Breviaria, Diurnalia, ac Pontificalia ab Ordinariis approbari non possint, nisi conformia sint editioni, quam Synodus ipsa fieri iusserit et Sancta Sedes probaverit », (SPRZ, Tit. I, *De fide catholica*, pag. 58).

⁵ « Uniformitas Caeremoniarum cum omni modestia, devotione et gravitate ab omnibus servetur » (SPRZ, Tit. III, § IV, *De celebratione Missarum*, pag. 73).

⁶ « Caeremoniae in eiusdem Sacramenti (Baptismi) administratione nullae adhibeantur, praeter eas, quae a maioribus nostris institutae, nobisque traditae, in Orientali Ecclesia servatae fuerunt, ac in novo Rituall edendo exprimentur, reliquas temere introductas, et in Ritualibus quibusdam forsan scriptas, aut impressas praesens Synodus reiiciendas omnino esse decernit », (SPRZ, Tit. III, § I, *De baptismo*, pag. 63).

⁷ Duae potissimum hujusmodi regiones distingui possunt: 1) *Regio lituano-alborussica*, in qua evolutio rituum maiores progressus fecit, et 2) *Regio ucraino-galiciana* (dioeceses Luceo-riensis, Leopoliensis et Peremishiensis), in qua antiqua rituum observantia fidelius conservabatur.

saeculum XVIII. Ecclesiam Ruthenam invasit, in secunda medietate eiusdem saeculi reactio exsurgit. Haec reactio primo apud Hierarchiam ruthenam manifestatur, quae ad reformandam liturgicam disciplinam varia conamina fecit.

Imprimis nominandus est hic Conventus Hierarchiae ruthenae die 6 Augusti 1761 sub praesidentia Metropolitani Floriani Hrebnyckyj (1748-1762) in civitate Novogrodek celebratus.⁸ Congregati Episcopi de convocanda nova Synodo Provinciali deliberabant, in qua etiam disciplina liturgica reformanda erat. Habentes prae oculis Euchologium graecum iussu Papae Benedicti XIV nuper editum (1754) statuerunt, ut etiam liturgia ruthena ad normam huius Euchologii reformaretur. Quem ob finem specialis Commissio Antesynodalis ex viris ex qualibet dioecesi delegatis constituta est.⁹

Ipsam Synodum F. Hrebnyckyj convocare non potuit, quia haud multum post Conventum Novogrodecensem mortuus est (1762). Eius successor Metropolitanus Philippus Wolodkowycz (1762-1778) obtento a Romano Pontifice consensu Synodum Provincialem Ecclesiae Ruthenae pro die 26 Augusti 1765 in civitatem Brest Litovskyj convocavit. Proh dolor celebratio Synodi propter oppositionem Gubernii Poloniae remittenda et dein revocanda erat.¹⁰

4. In Archivio Nuntiaturae Varsaviensis non pauca documenta et folia ad hanc Synodum non-celebratam spectantia conservata sunt. Pro rebus liturgicis summi momenti sunt praesertim 4 et 5 articulus statutorum antesynodalium, quae nomen habent: « *Compendium ex materiis Synodalibus ad formandas Constitutiones in Congregationibus Ante-Synodalibus examinatis et digestis excerptum* ».¹¹

In articulo quarto (« *De Sacramentis tum in genere tum in specie* ») iam statim in prima paragrapho legimus: « Cum ob multiplices et diversas Ritualium editiones introducta sit magna difformitas in administratione Sacramentorum, statuat S. Synodus, quatenus Rituale Graecorum, iussu s. m. Benedicti XIV. Romae editum ab omnibus usurpetur et adamussim observetur, antequam autem textu Slavonico cum Graeco collato emendatum typis mandetur, in Synodo Provinciali praesentetur et revideatur ipsumque sic revisum originale ab Episcopis subscriptum in Archivio Metropolitanano conservetur ».¹²

In subsequenti quinto articulo (« *De Ecclesiis, eorum ordine, et nitore necnon Divinis Officiis publice in Ecclesia celebrandis* ») de interna ecclesiae constitutione iuxta normam et consuetudines Ritus Byzantini sermo fit.¹³ Expositis his, quae ad constitutionem ecclesiae pertinent, vehementer contra innovationes liturgicas « hominum novitati studen-

⁸ J. PELESZ, *Geschichte der Union...*, II, pag. 497.

⁹ ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 149, fol. 572.

¹⁰ PELESZ, *op. cit.*, II, pag. 502-504.

¹¹ ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 99, fol. 35-38.

¹² ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 99, fol. 35.

¹³ IBID., fol. 36v-37.

tium » invehitur. Episcopis inculcatur, ut curam dent, quatenus pristina ecclesiae et Divinorum Officiorum forma « quantum fieri potest in ecclesiis reintegretur ». Item statuitur, ut Magistri Caeremoniarum per ecclesias cathedrales et monasticas instituantur, quorum munus erit, strictam observationem promovere et invigilare, ne quis consuetudines « Ritui Ecclesiae Orientalis » contrarias introducere audeat. Contra transgressores autem graves poenae statuuntur: id est « praeter noxam peccati lethalis » interdictum ab ingressu ecclesiae, (si transgressor Episcopus fuerit), - suspensio a Divinis, (si fuerit Clericus cuiusquam status), - et interdictum, (si integra communitas hanc legem violare praesumpserit).¹⁴

Visitatoribus severe praecipitur, ut observantiae rituum invigilent, et si ipsi Visitatores « negligentia aut humano respectu ducti » violationem legum Synodi dissimulaverint, in poenam suspensionis incurriere denuntiatur.¹⁵

Ut in administratione Sacramentorum ceterorumque Officiorum antiqua disciplina liturgica « Ecclesiae Orientalis » restituueretur et norma generalis adesset, cui se omnes Ecclesiae conformare deberent, deputantur Viri rituum Ecclesiae Orientalis et linguae graecae periti, qui Rubricam, seu Typicum, Graecorum Typicis conforme confidere debent, in quo exacte ratio Divinorum Officiorum peragendorum describatur. Speciali autem modo insistitur in uniformi S. Missae celebratione. Omnes novitates temere introductae abrogantur, et caeremoniae S. Missae Sacrificii ad Liturgicum Graecorum conformari statuuntur.¹⁶

In elaborandis decretis antesynodalibus maximam partem Antonius Mlodowskyj, Episcopus Turoviensis et Pinscensis, et sacerdos Georgius Grot-Turkiewicz habuisse videntur.¹⁷ Nescimus certe, quaenam regio provinciae Ecclesiasticae Ruthenae praecipuum influxum in hunc tam evidenter redditum ad antiquam disciplinam habuerit. Sine dubio primum locum obtinet dioecesis Leopoliensis, ex qua occasione novae Synodi memoriale quoddam porrectum est, in quo varii abusus et innovationes in celebratione S. Missae recensentur et condemnantur. Hic lamentatur, quod in celebratione S. Missae « vix non tot discrepantes inter se videntur caeremoniae, quot numerantur Sacerdotes eas celebrantes », et sub fine ita concluditur: « Si Concilium Tridentinum (sess. 7, can. 13) anathematis ictu ferit omnes illos, qui in solemnni Sacramentorum administratione receptos et approbatos Ecclesiae Catholicae ritus contemnunt, aut pro libitu omittunt, vel in novos mutare praesumunt: qualenam ferendum iudicium de his, et ut fateri liceat, de omnibus nobis, qui in hoc Sacramentorum maximo per difformitatem delinquimus, et a praescriptis ac per SS. Patres introductis ritibus et caeremoniis longe recessimus, imo vix umbram eorum servamus ».¹⁸

¹⁴ ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 99, fol. 37.

¹⁵ IBID., fol. 37.

¹⁶ ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 99, fol. 37v.

¹⁷ AVAK, t. XVI, pag. 371, (Epist. Stephani Lewinskyj ad J. Smogorzewskyj, 18-IV-1786).

¹⁸ Cfr. « *Praeparatoria ad statuenda in futura Synodo provinciali Ruthena, ex Dioecesi Leopoliensi A. D. 1763 porrecta* », quae apud J. PELESZ, (*Geschichte der Union...*, II, pag. 935)

Sed etiam e dioecesi Polocensi, in qua antiqua rituum disciplina magis quam in regione galiciano-ucraina obsoleverit, pulchrum nobis testimonium de conamine redeundi ad antiquam observantiam superest. Inter folia ad Synodum anni 1765 pertinentia instructio quaedam inventitur pro sacerdote Clemente Kulikowskyj, delegato archidioecesos Polocensis ad consultationes antesynodales misso, in qua iam in prima paragrapho dicitur: « Liturgiae iuxta Benedicti PP. XIV. Euchologium ubique celebrentur ».¹⁹

Quamquam igitur valde dolendum est, Synodum anni 1765 celebratam non fuisse, nihilominus eius antesynodalia decreta optima sunt documenta reactionis contra rituum alterationes in Ecclesia Ruthena saeculo XVIII.

5. Anno 1776, vix decem annis post frustratam Synodum (1765), iterum quaestio de uniformi et typica editione librorum liturgicorum Ecclesiae Ruthenae exsurgit. Nunc quidem promotor uniformitatis liturgicae Nuntius Varsaviensis J. Garampi extitit.²⁰

Garampi sive ex propria observatione, sive ab aliis eductus de « discordine et confusione » in editionibus liturgicis ruthenis, hunc statum « irregularēm » et ulterius non tolerandum esse putavit.²¹ Ut melius de immutationibus et additionibus in libris liturgicis ruthenis factis edoceatur, Garampi consilium et informationes ex variis Viris Ecclesiasticis rerum liturgicarum peritis quæsivit. Qua in re Nuntio responderunt: Ignatius Rosetti, Rector Collegii Rutheno-Armeni Leopoli,²² Maximilianus Ryllo, Episcopus ruthenus Chelmensis²³ et monachus Basilianus P. Samuel Nowickyj.²⁴ Ex responsis sine dubio illud Patris S. Nowickyj supereminet. Proinde eius exemplar Nuntius Garampi una cum sua epistula ad S. Congregationem de Propaganda Fide transmisit.

In sua epistula P. S. Nowickyj fatetur, plures esse editiones liturgicas in Ecclesia Ruthena, inter se tamen discrepantes, neque inveniri

citur. Hoc memoriale tamen non invenitur inter folia spectantia ad Synodum 1765, quae in ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 99 habentur.

¹⁹ ASV, ARH. NUNZ. VARS., t. 99, fol. 64.

²⁰ JOSEPHUS GARAMPI, natus est die 28-X-1725. Anno 1772 creatus est Nuntius Varsaviensis, quod munus usque ad annum 1776 retinuit. Annis 1776-1785 erat Nuntius Vindobonac, 1785 creatus est Cardinalis. Obiit Romae 4-V-1792, (Cfr. V. MEYSZTOWICZ, *De archivio Nuntiaturae Varsaviensis*, Vaticani 1944, pag. 24-30).

²¹ ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 83, fol. 108. Pro sua actione Nuntio Garampi ansam dedisse videtur breve quoddam scriptum anonymi auctoris ex dioecesi Leopoliensi (1773), ubi « *Abusus qui invaluerunt in Russia corrigendi iuxta Decreta Synodi Zamosciane* » exponuntur. Hic ita de abusibus liturgicis conqueritur: « *Praecipit S. Synodus (tit. de celebratione Missarum), ut ubivis eadem Caeremoniae adhibeantur, sed quam ab hoc canone in Russia aberratum sit, vel ex eo liquet, quod in qualibet Typographia aliae Caeremoniae in Missalibus imprimuntur, ita ut quaelibet Typographia post quaelibet impressionem libri semper aliquid addere vel mutare vel minuere (praesumat), sed quanam auctoritate? prorsus ignoratur* », (ASV, ARCH. NUNZ. DE VIENNA, t. 75, fol. 86).

²² Relatio Ignatii ROSETTI ex die 28-II-1776 conservantur in ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 101, fol. 463-464.

²³ Epistulae ep. M. RYLO habentur in ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 146, fol. 93rv (*Epist. 28-II-1776*), et t. 101, fol. 467rv et 469rv (*Epist. 28-III et 12-IV-1776*).

²⁴ APF, *Scritt. Rif. Congr. Mosc. Pol. Rut.*, t. 12, fol. 449-452, (Epist. P. Samuelis NowICKYJ ex die 4-III-1776).

posse editionem officialem, ad normam Synodi Zamostiensis factam; omnes editiones carere debita S. Sedis Apostolicae approbatione.²⁵ Huic confusione unicum remedium dari posset, si ipsa Apostolica Sedes curam de typica editione librorum liturgicorum suscipere vellet.²⁶ Hoc munus esset committendum Congregationi Particulari pro correctione Librorum Orientalis Ecclesiae institutae, quae editiones ruthenas ad normam editionum graecorum Romae correctarum conformare posset. Interim vero P. Nowickyj suggerit, ut Nuntius Garampi Praelatos Ecclesiae Ruthenae ad recipiendum Euchologium graecum Benedicti XIV excitaret.²⁷

Sententia Patris S. Nowickyj Nuntio Garampi arridebat. Eius epistolam statim Romam misit suamque relationem adiunxit. Secundum mentem Nuntii Garampi opus correctionis librorum liturgicorum Ecclesiae Ruthenae a Congregatione Particulari suscipiendum, « gloriosum pro Sancta Sede et pro Ecclesia Ruthena valde necessarium et fructuosum » esset.²⁸

Sed paulo post Garampi Varsaviae valedixit et Nuntius apud aulam imperialem Vindobonensem creatus est. Hac translatione etiam negotium typicae librorum liturgicorum editionis in medio abrumpitur.²⁹

6. Eodem circa tempore in nonnullis editionibus liturgicis ruthenis aliqua tendentia apparet, quae ad antiquam rituum obseruantiam regressum facit, etiamsi modo non semper sibi constanti et stabili. Influxus, saltem partialis, Euchologii Benedicti XIV notatur in Liturgico, apud typographiam Počajoviensem anno 1778 edito.³⁰ Similem « retrogressivam » tendentiam etiam Rituale in eadem typographia anno 1771 editum praesefert.³¹

Ex dictis facile concludi potest, iam ante Heraclium Lisowskyj quosdam conatus liturgiae ruthenae reformandae adfuisse. Qui conatus reformatiori, imprimis vero statuta antesynodalia annorum 1763-1765, reformationi liturgicae Heraclii Lisowskyj viam praeparaverunt. Opus archiepiscopi Polocensis igitur nihil aliud considerari debet, nisi continuatio illius contra rituum alterationes in Ecclesia Ruthena reactionis quam iam in Synodo Zamostensi exsurgere vidimus.

²⁵ APF, *Scritt. Rif. Congr. Mosc. Pol. Rut.*, t. 12, fol. 449.

²⁶ IBID., fol. 450: « Utinam proinde motu proprio animum oculosque suos advertere (vellet) Mater nostra et Sapientissima Magistra Romana Ecclesia ad singulos Ruthenorum libros, qui in magno numero sacris eorum officiis et institutionibus inseruiunt ».

²⁷ IBID., fol. 450v-451.

²⁸ APF, *Scritt. Rif. Congr. Mosc. Pol. Rut.*, t. 12, fol. 444v-448 (Epist. J. GARAMPI ad Card. Praefectum CASTELLI, die 13-III-1776 scripta).

²⁹ Garampi profectus est Vindobonam die 8-V-1776, (Cfr. MEYSZTOWICZ, *op. cit.*, pag. 24).

³⁰ RAES A., *Le Liturgicon Ruthène...*, pag. 105-106.

³¹ RAES A., *Le Rituel Ruthène...*, pag. 381-382. Eadem tendentia etiam in Evangelario Počajoviensi (1780) notari potest.

P A R S P R I M A

Obiectum primae nostri laboris partis est historico-analytica expozitio reformationis liturgicae ab Heraclio Lisowskyj intentae. In hac igitur parte agimus de vicissitudinibus historicis reformationis. CAPUT I., de idea illius - CAPUT II., de obiecto - CAPUT III, IV, V., de motivis - CAPUT VI., necnon de influxu, quem sacerdos G. Turkiewicz in reformationem a H. Lisowskyj propositam habuit - CAPUT VII. Ut melius mens Archiepiscopi Polocensis in causa reformationis appareat, eius propriis verbis saepe utimur.

CAPUT I.

De vicissitudinibus historicis reformationis liturgicae Heraclii Lisowskyj (1785 - 1795).

1. *Initium reformationis liturgicae 1785. - 2. Negotiationes anni 1786. - 3. Congregatio Generalis anni 1787 eiusque decisiones. - 4. Decisionum effectus. - 5. Decisiones Congregationis Generalis anni 1788. - 6. Quaestio reformationis liturgicae in Capitulo Basiliatorum in Zydyczyn 1788. - 7. De versione Euchologii Benedicti XIV. - 8. De ulteriore sorte et insuccessu reformationis liturgicae.*

In hoc capite brevem historicum conspectum delineare volumus de vicissitudinibus reformationis liturgicae sub Heraclio Lisowskyj. Sermo erit de negotiationibus circa reformationem liturgicam inter Heraclium Lisowskyj et Apostolicam Sedem, de earum exitu, postremo de ulteriore sorte reformationis liturgicae ab Heraclio Lisowskyj propositae.

1. Quaestionem reformandae liturgiae Heraclius Lisowskyj statim post suam promotionem ad sedem archiepiscopalem Polocensem movere coepit. Utrum iam antea de reformatione liturgica aliquid cogitaverit, documenta non docent.

Petitio reformandae liturgiae prima vice ab Heraclio Lisowskyj initio anni 1785 porrecta est, uno vixdum anno ab eius consecratione episcopali elapso. Mense Januario 1785, dum ipse propter varia negotia Petropoli commorabatur, ad Summum Pontificem Pium VI primam epistolam direxit.¹ Qua in epistula ab Apostolica Sede tres expetebat fa-

¹ Haec epistula scripta est die 25 Januarii 1785. Textum huius epistulae proh dolor! in tabulariis Archivii Vaticani et S. Congregationis de Prop. F. invenire non potuimus. Teste ĆISTOVČ (Sostojanje unijatskoj Cerkvy v Rossiji v carstvovanije Imperatora Aleksandra I. Pravosl.

cultates: 1. iurisdictionem supra monachos suaे dioeceseos, 2. facultatem reducendi quaedam Festa a Synodo Zamostiensi introducta, et 3. facultatem amovendi ex liturgia ruthena quasdam innovationes et additiones quae in eandem post Synodum Zamostensem irreperserunt.

Epistula, de qua hic tractatur, iam mense Februario Romam pervenit, et a Principe Nicolao Jusupow,² legato extraordinario imperatricis Rossiae Catharinae II apud Sanctam Sedem, Summo Pontifici Pio VI praesentata fuit. Haec epistula postea remissa est ad S. Congregationem de Propaganda Fide, cuius competentiam spectabat, ut de postulatis Heraclii Lisowskyj diiudicaret.

Responsum S. Congregationis de Propaganda Fide ad petitiones Heraclii Lisowskyj datum est die 14 Maii 1785.³ Nomine S. Congregationis Card. Antonelli, Praefectus eiusdem Congregationis, Heraclio Lisowskyj rescriptum dedit. Ex tribus facultatibus prima, id est iurisdictione supra monachos Basilianos (exemptos) in Alba Russia sub ditione imperii Rosiaci degentes sine difficultate a S. Congregatione concessa fuit.⁴

Quoad vero alias facultates, id est reductionem Festorum et reformationem liturgicam negativa data est decisio. Ita quoad reductionem Festorum est rescriptum, generatim nihil obstare, quominus huiusmodi facultas a S. Sede concederetur, sed oratorem antehac singillatim enumerare debere haec Festa, de quorum observatione populum dispensare optaret, quia facultas dispensandi ab observatione Festorum generalis a S. Sede dari non posset.

Simili modo sonat responsum S. Congregationis quoad facultatem reformatiae liturgiae. Primo revocatur in mentem oratoris statutum Synodi Zamostensis de libris liturgicis a Metropolitano edendis, dein insistitur, ut reimprimendi libri antea revisioni Sanctae Sedis subiciantur, et subiungitur, quod S. Sedes genericam facultatem quoad reformationem rituum et caeremoniarum impertiri non potest.⁵

Quod S. Congregationis responsum Varsaviam ad Nuntium Apostolicum Ferdinandum Saluzzo transmissum est,⁶ ut Nuntius ex responsu copiam pro suo Archivio confidere posset necnon, ut ipsum originale ad Heraclium Lisowskyj mittendum curaret.

Responsum S. Congregationis a Nuntio ad H. Lisowskyj illico expeditum Polociam statim pervenisse non videtur. Heraclius Lisowskyj responsionem Apostolicae Sedis frustra attendens mense Septembri 1785 novam epistulam ad Sedem Apostolicam compositum. Sed haec epistula

Obozrenije, 1879, II, pag. 206), haec epistula extat in «*Archiv Greko-Uniatskich Mitropolitov*» in Moscovia, sub num. 2113.

² De legatione principis JUSUPOV eiusque scopo multa habet P. PIERLING, *La Russie et le Saint-Siège*, t. V, (Paris 1912), pag. 159-179, in capitulo: «*Le prince Jousourov à Rome*».

³ ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 70, fol. 201rv.

⁴ Decretum S. Congr. de Prop. Fide diei 14 Maii in APF, *Decreti della S. Congregazione*, t. 4, fol. 270r-271v. Etiam in APF, *Acta* (1788), t. 158, fol. 180-181 (Nota).

⁵ ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 70, F. 201v.

⁶ APF, *Lettere della S. Congr. dell'anno 1785*, t. 246, fol. 260-261.

Romam non pervenit, quia probabiliter ab adversariis Heraclii Lisowskyj intercepta fuerat.⁷

Interea Nuntius Varsaviensis variis ex partibus relationes et informationes petivit tam de scopo quam de motivis et causis, propter quae Heraclius Lisowskyj reformationem liturgicam urgere cooperit, praesertim vero, num sua proposita perducere ausus fuerit.⁸

Nuntium maxime perplexum reddebat hoc, quod Heraclius Lisowskyj nullum ad S. Congregationem responsum dederat. Attamen irregularitates in commercio epistulari Heraclii Lisowskyj cum S. Congregatione de Propaganda Fide et Nuntio Varsaviensi causam suam habuerunt in officiali censura epistularum, cui iussu Gubernii Rossiaci omnes epistulae ad quascumque auctoritates ecclesiasticas extra limites imperii Rossiaci mittendae necessario subici debebant.⁹ Idem dicendum est de epistulis, quae in Rossiam mittebantur. Hic quaerenda est causa, quod in commercio epistulari Heraclii Lisowskyj cum Sede Romana non solum debita libertas et omnimoda in loquendo sinceritas deerat, sed etiam non omnes epistulae ad locum destinationis perveniebant.

2. Frustra S. Congregationis responsum expectans H. Lisowskyj die 22-II-1786 iterum Romam scripsit.¹⁰ Hac in epistula fusius exposuit suam de necessitate et opportunitate reformationis liturgicae sententiam et simul quaedam puncta principaliora indicavit, in quibus reformatio maxime necessaria erat. Epistula meliorem, quam praecedentes sortem habuit, quia Romam pervenit et accurato examine S. Congregationis exacta fuit.

Nomine S. Congregationis Cardinalis Praefectus Antonelli die 28-VII-1786 responsum dedit,¹¹ in quo suam de reformatione liturgica mentem expressit. Recensebat eius pericula et incommoda, et Archiepiscopum monuit, ut iterum totam rem serio examinaret, utrum nempe expediret opus tam grave et periculorum plenum suscipere, an fortasse melius esset, respectu ad bonum Ecclesiae habito, a proposito desistere. Denique expoposcit ab Archiepiscopo, ut magis accurate ritus et caeremonias indicaret, quae secundum eius mentem essent reformandae.

Huic epistulae valde similis est cum quoad tenorem, tum quoad argumenta epistula a Nuntio Varsaviensi Saluzzo die 13-V-1786 ad Heraclium Lisowskyj missa.¹²

Heraclius Lisowskyj respondit ad utramque epistulam die 28-XII-

⁷ Ita saltem lamentabat ipse H. Lisowskyj in epistula ad S. Congregationem de Prop. Fide die 22-II-1786 (ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 70, fol. 302r).

⁸ Nonnullae huismodi relationes et informationes habentur in ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 149, fol. 602-605.

⁹ De hac censura saepius ipse H. Lisowskyj conqueritur. Ita v. gr. in epistula ad S. Congnem de Prop. Fide 28-XII-1786 scribebat: «Notum enim est Sacrae Congregationi, quomodo nos hic gravissime obstricti sumus Imperiali Edicto, quascumque litteras Sedis Romanae ad nos datas in Senatu repraesentare» (APF, *Scritt. Rifer. Congr. Gener.*, (1787), t. 876, fol. 352v).

¹⁰ ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 70, fol. 302-304v; et t. 149 fol. 546-547v.

¹¹ ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 149, fol. 544-545v.

¹² ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 149, fol. 540-541v et in t. 86, fol. 140-142.

1786.¹³ Praemissis nonnullis negotiis ad reformationem liturgicam non pertinentibus, Lisowskyj per longum et latum illas mutationes et « corruptelas » liturgiae ruthenae recenset, in quibus Uniti ab antiquis suae Ecclesiae ritibus recesserunt. Praecipum momentum huius epistulae in hoc consistit, quod sat accuratam descriptionem rituum et caeremoniarum in Ecclesia Ruthena illo tempore vigentium praebet. Lisowskyj suum opus contra adversarios, qui de hoc reformationis opere falsas et exageratas notitias spargebant, defendit, et ab infundatis suspicionibus tum apud Nuntium cum apud S. Congregationem sese « purgare » studet.

3. Responsum Heraclii Lisowskyj die 28-XII-1786 datum magnum effectum tam apud Nuntium Varsaviensem quam apud S. Congregationem de Propaganda Fide habuit. Nuntio placuit sinceritas Archiepiscopi eiusque affectus submissionis erga Sedem Apostolicam, cui totum iudicium de sua reformatione commisit.¹⁴ Multae suspiciones ex parte evanuerunt. Etiam Romae postulata Archiepiscopi notabilem successum obtinuerunt. Omnes pertractationes, quae hucusque inter eum et Sedem Apostolicam de reformanda liturgia habebantur, ad mutuum commercium epistulare limitabantur. Nulla hucusque facta est officialis declaratio quoad reformationem liturgicam.

Status rerum mutatus est, postquam responsum Heraclii Lisowskyj Romam pervenerat. Ad deliberanda eius postulata convocata fuit Congregatio Generalis Cardinalium S. Congregationis de Propaganda Fide die 18 Junii 1787.¹⁵ Amplam relationem de epistula et postulatis Archiepiscopi Polocensis Card. G. Boschi fecit. Sub fine huius relationis duae sunt ad resolvendum propositae quaestiones, quarum altera reformationem liturgicam, altera vero reductionem Festorum spectabat.

Quoad reformationem liturgicam quaerebatur, quomodo providendum esset, ut abusus in liturgia Ecclesiae Ruthenae introducti tollerentur, et num propositum Archiepiscopi Polocensis approbandum esset. Ad haec Cardinales responderunt: « Insistendum (est) executioni Decretorum Synodi Zamosciensis collatis consilij et studiis cum Metropolitano, caeterisque Praesulibus Unionis habito praesertim Euchologio a Sede Apostolica approbato, ejusque jussu edito, salvis tamen mutationibus inter Ruthenos Unitos communiter inductis ad maiorem Catholicae Fidei et Unitatis protestationem. Interim vero, donec prodeat huiusmodi Rituale ad mentem praefatae Synodi, abstineat Archiepiscopus a quacumque innovatione, et praesertim ab introducendo usu Rituallis, quo utuntur non Uniti ».

Quod vero alteram quaestionem, videlicet reductionem Festorum attinet, decisio dilata fuit et Archiepiscopus iubebatur prius accurate

¹³ Epistula ad Card. Antonelli (S. Congr. Prop. F.) habetur in APF, *Scritt. Orig. Rifer. Congr. Gener.*, t. 876, fol. 352-356v; epistula ad Nuntium Saluzzo extat in ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 149, fol. 608-615v.

¹⁴ Cfr. epistulas Nuntii ad S. Congnem de Prop. Fide die 28-III-1787 (ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 78, fol. 79v) et die 23-V-1787 (ibidem, fol. 84v), in quibus de Heraclio Lisowskyj magis favorabiliter exprimitur.

¹⁵ APF, *Scritt. Orig. Rifer. Congr. Gener.* (1787), t. 876, fol. 326-356, et APF, *Acta* (1787), t. 157, fol. 207-216.

Festa tam ab Unitis quam a non Unitis in Lithuania et Rossia observata referre.

4. Opus reformationis liturgicae a decisionibus S. Congregationis de Propaganda Fide novum accepit impulsu. Decisiones Archiepiscopo Polocensi communicatae sunt a Card. Antonelli die 29-IX-1787.¹⁶ Insuper Antonelli de illis Metropolitanum J. Smogorzewskyj certiorem fecit eumque exhortavit, ut pro suo munere operam daret componendo Rituall iuxta statutum Synodi Zamostiensis.¹⁷

Acceptis S. Congregationis decisionibus Heraclius Lisowskyj scopum suum saltem ex parte assecutum esse censebat. In suo responso (die 23-XII-1787)¹⁸ gaudium suum exprimit, quod Apostolica Sedes tandem preces eius, posthabitatis sinistris informationibus, exaudiverit. Certiorem facit S. Congregationem de Propaganda Fide, se iam scripsisse et ad Metropolitanum et ad alios Ecclesiae Ruthenae Praesules exhortando eos, ut sine procrastinatione decisionibus Apostolicae Sedis concordibus animis et mutuis studiis satisfacere conarentur. Sed «oscitantiam et moram» eorum in exsequendis Apostolicae Sedis decretis praevidentis ipse versionem Euchologii Benedicti XIV in linguam slavonicam suscipere decrevit. Quam peractam pollicetur quam primum Romam missurum esse, ut ab Apostolica Sede examinari et pro usu Ecclesiae Ruthenae approbari posset.

Eodem die (23-XII-1787) Heraclius Lisowskyj etiam ad Nuntium Varsaviensem scripsit eumque exorabat, ut pro sua de exsequendis Apostolicae Sedis decretis cura Episcopos ruthenos urgere non desisteret, ut sine mora placitis S. Sedis parerent.¹⁹

5. Anno 1788 die 23-VI habita est apud S. Congregationem de Propaganda Fide nova Congregatio Generalis, quae de «rebus Polocensibus» deliberabat.²⁰ Hac vice praecipue agitata est quaestio de reductione Festorum, quae in ultima Congregatione Generali ad nullam definitivam decisionem perducta erat.

Relatio de Festis Ecclesiae Ruthenae post Synodum Zamostensem observatis a Card. Antonelli facta est. Ille in sua relatione nitebatur elenco Festorum, quem ipse Lisowskyj ad S. Congregationem transmisserat.²¹ In eadem relatione movebatur quaestio de versione Euchologii Benedicti XIV in linguam slavonicam. Cardinales congregati statuerunt inculcandum esse Archiepiscopo Polocensi, ut versionem praefati Euchologii quam primum conficeret. Quod vero reductionem Festorum spectat, emanatum est decretum S. Congregationis de Propaganda Fide

¹⁶ ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 71, fol. 28rv.

¹⁷ IBIDEM, fol. 27 (Epistula Card. ANTONELLI ad Metrop. Jasonem Smogorzewskyj diei 29-IX-1787).

¹⁸ ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 149, fol. 628-631.

¹⁹ ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 149, fol. 622-624.

²⁰ APF, *Scritt. Rifer. Congr. Gener.* (1788), t. 879, fol. 18-59v; et in APF, *Acta* (1788), t. 158, fol. 175-200v.

²¹ Vide hunc elencum in epistula H. Lisowskyj ad S. Congrem de Prop. F. 23-XII-1787. (ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 149, fol. 629r-630).

(3-VIII-1788), vi cuius Archiepiscopo facultas dispensandi in nonnullis Festis, singillatim enumeratis, concessa fuit.²²

In eadem Congregatione perfecta fuit relatio de dissertatione Monachi Basiliani P. Ważynskyj sub titulo «*Observatio brevis super ritibus sacris a Ruthenis Unitis usitatis...*».²³ Hoc scriptum compositum est a P. Ważynskyj rogatu Nuntii Varsaviensis, F. Saluzzo, initio anni 1788. Continet animadversiones de rebus liturgicis ruthenis in genere et de reformatione liturgica Heraclii Lisowskyj in specie.

6. Eodem anno (1788) agitata est quaestio reformationis liturgiae etiam in Capitulo Generali Basilianorum in Zydyczyn. Cum ad hoc Capitulum præparationes fierent, Nuntius Varsaviensis Saluzzo optimam esse occasionem existimabat, ut in hoc capitulo etiam de reformatione liturgica Heraclii Lisowskyj tractaretur.²⁴ Hoc modo Nuntius sententiam cleri regularis de conaminibus Archiepiscopi Polocensis cognoscere voluit.

Capitulum celebratum est praesidente episcopo Chelmensi Theodosio Rostockyj, coadiutore Metropolitani J. Smogorzewskyj. In sessione 11-ma ex mandato Nuntii lecta est epistula Heraclii Lisowskyj ad S. Congregationem de Propaganda Fide ex anno 1786 simul cum rescripto eiusdem Congregationis. Perfecta est etiam supra memorata «*Observatio brevis*» Patris P. Ważynskyj, quam Patres Capitulares summe laudaverunt.

In sessione 12-ma instituta est discussio de emendatione rituum. Patres Capitulares a directo iudicio super reformatione liturgica quidem abstinuerunt, nihilominus voluerunt, ut in sacris ritibus ab omnibus uniformitas servaretur, et prohibuerunt, ne in Typographiis novitates in libros liturgicos introducerentur. Reductionem Festorum ab Heraclio Lisowskyj propositam Patres Capitulares non probaverunt.²⁵

7. Omnes negotiationes hucusque practice ad hoc perduxerunt, quod Heraclio Lisowskyj opus versionis Euchologii Benedicti XIV commissum fuit. Quam versionem postea Romam ad revisionem et approbationem mittere tenebatur.²⁶

Versionem Euchologii iussu Heraclii Lisowskyj eius Vicarius Generalis Georgius Grot-Turkiewicz suscepit, qui operi huic per duos annos impendebat (1788-1790). His duobus annis Heraclius Lisowskyj nec cum Nuntio Varsaviensi neque cum S. Congregatione de Propaganda Fide commercium epistulare habuit. Hoc diuturnum silentium Archiepiscopi Polocensis iterum variarum suspicionum et præiudiciorum ansam de-

²² Cfr. hoc decretum in APF, *Decreti della S. Congr.*, t. 14, fol. 406v-407.

²³ Exstat in APF, *Scritt. Orig. Rifer. Congr. Gener.*, (1788), t. 879, fol. 45-59v, tamquam «Appendix» ad Congregationem Generalem diei 23 Junii 1788.

²⁴ Vide epistolam Nuntii die 27-V-1788 ad Patrem Ważynskyj scriptam (ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 87, fol. 35).

²⁵ De hoc capitulo conferendum est APF, *Acta* (1790), t. 160, fol. 59-60, et *Scritt. Orig. Rifer. Congr. Gener.*, t. 885, fol. 294rv, necnon (N. PETROV), «*Kratkija izvestija o položeniji básiljanskaho Ordena i raznyx peremjenach v jeho upravleniji ot 1772 do 1811 g.*». (TKDA 1868 (III), pag. 151).

²⁶ ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 87, fol. 66.

dit. Modus agendi pastoris Polocensis Nuntio Varsaviensi suspectus erat ac proinde de persona et opere Archiepiscopi apud varias personas informationes et notitiae ab eo colligebantur.²⁷

Suum silentium Heraclius Lisowskyj non prius rupit, nisi cum versio Euchologii Benedicti XIV terminata fuisset. In aestate anni 1790 Archiepiscopus versionem Missae S. Johannis Chrysostomi Varsaviam expedivit.²⁸ Praeter slavonicam versionem adiunctus est etiam textus eiusdem Missae in lingua latina.

Accepta versione Nuntius Varsaviensis eam Metropolitano Theodosio Rostockyj ad revisionem tradidit.²⁹ Brevi tempore Metropolitanus observationes in textum Missae S. Johannis confici iussit, quae sub titulo « *Observationes in Missam Polocensem* » in tabulariis Vaticanis extant.³⁰ In Octobri 1790 Nuntius (Saluzzo) versionem una cum « *Observationibus...* » Romam transmittere curavit. Card. Antonelli D. Serafinum de Simone, Magistrum linguae illyricae, fidelitatem versionis slavonicae examinare iussit.³¹ Rogatus fuit etiam M. de Magistris, Secretarius S. Congregationis pro Correctione librorum Orientalium, ut suas observationes ad textum versionis faceret.³²

Initio anni 1791 Heraclius Lisowskyj suum Vicarium Generalem, G. Turkiewicz, Poloniam mandavit, ut totam Euchologii Benedicti XIV versionem in manus Nuntii Varsaviensis traderet.³³ Turkiewicz Poloniam venit, sed morbo in itinere affectus Chełmam venit, ubi apud Episcopum P. Ważynskym per aliquot tempus commoratus est, cum quo de versione Euchologii disserebat.³⁴ Ep. P. Ważynskyj suam de versione Euchologii opinionem necnon de indole et nonnullis incommodis ipsius originalis graeci in epistula ad Nuntium Varsaviensem aperuit.³⁵

Quid fecerit Turkiewicz cum Euchologio a se ipso traducto, ex documentis difficile erui potest. Non habemus notitias, utrum illud Nuntio Varsaviensi Saluzzo, an Metropolitanu Theodosio Rostockyj ad revisionem tradiderit. Nulla est Euchologii mentio in epistulis Nuntii Varsaviensis ad S. Congregationem de Propaganda Fide, aut in commercio epistulari Heraclii Lisowskyj sive cum Nuntio sive cum Praelatis Ecclesiae Ruthenae. Nullum vestigium Euchologii reperitur etiam in tabu-

²⁷ Nonnullae informationes habentur in ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 149, fol. 533-538.

²⁸ Una cum epistula ad Nuntium Varsaviensem die 5-VII-1790 scripta (ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 149, fol. 635-636).

²⁹ ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 87, fol. 244v,

³⁰ ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 149, fol. 526-531. Quisnam fuit auctor harum « *Observationum* », non constat.

³¹ APF., *Scritt. Rifer. Congr. Mosc. Pol. Rut.*, t. 16, fol. 508.

³² Eius observationes habentur in APF, *Scritt. Moscov. Pol. Ruteni. Relazioni* (Miscellanea), vol. 1, Quad. XXXV.

³³ ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 149, fol. 639.

³⁴ ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 149, fol. 649rv et APF, *Scritt. Rifer. Congr. Mosc. Polon. Rut.*, t. 17, fol. 25rv, (Epistula Georgii TURKIEWICZ 14-II-1791 ad Nuntium Saluzzo).

³⁵ ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 149, fol. 450-451v, (Epistula P. WAŻYNSKYJ die 20-III-1791).

lariis Romae ita, ut affirmari possit Euchologium Romam non fuisse transmissum.³⁶

8. Iam quaeri potest, cur reformatio liturgica Heraclij Lisowskyj ad suum finem et optatum effectum perducta non fuit?

Secundum nostram opinionem duae sunt huius insuccessus causae; politica et ecclesiastica. Causa politica in hoc consistit, quod brevi tempore post absolutam Euchologii versionem magni eventus politici locum habuerunt, qui perfectionem reformationis liturgicae impeditiverunt. Anno 1793 2-da Poloniae divisio et paulo post (1795) tertia locum habuit. Suppressio dioecesium Ecclesiae Ruthenae a Gubernio Rossiaco facta reformationi liturgicae certe favere non poterat. Immo in novis rerum conditionibus omne conamen reformatorium non solum inopportunum, sed etiam pro Ecclesia Ruthena nocivum esse videbatur.

Cum hac causa exteriori aut politica altera nempe ecclesiastica intime connectitur. Reformatio liturgica, cuius propugnator Heraclius Lisowskyj erat, paucos fautores apud clerum ruthenum habuit. Ipse Archiepiscopus Polocensis denique omnem spem possibilitatis et opportunitatis sui conaminis amisisse videtur. Mirum esse sane videri potest, eundem Archiepiscopum, qui annis 1785-1788 tam fortiter causam hanc sustinebat, post annum 1795 non solum opus reformationis non urgere, sed ne de illa quidem in suis officialibus litteris ullam mentionem facere. Ipse enim probabiliter, mutatis Ecclesiae Ruthenae conditionibus, opus reformationis tamquam non amplius actuale existimare coepit.

Maxime fortasse ad talem rerum mutationem imprudens agendi modus Georgii Turkiewicz, ex-Vicarii Generalis Polocensis, contribuit. Turkiewicz, ut iam supra diximus, Polociam relinquens cum versione Euchologii Poloniam venit, ibique per aliquot annos mansit. Post tertiam Poloniae divisionem (1795), cum iusu Gubernii Rossiaci sedes episcopales Ecclesiae Ruthenae suppressae fuissent et Heraclius Lisowskyj unicus legitimus ruthenus in imperio Rossiaco pastor declaratus esset,³⁷ Georgius Turkiewicz nomine Heraclii Lisowskyj, sine eiusdem tamen consensu, epistulam pastoralem ad clerum ruthenum publicavit (1795).³⁸ In hac «Encyclica» fortiter contra Ritum Unitorum et indirecte contra ipsam Unionem invehitur. In fine huius epistulae pastoralis omnes sacerdotes sub poena suspensionis iubebantur, ut «quantocius relicto et reiecto hoc multis erroribus implicato Ritu Unitorum» ad pristinum suae Ecclesiae Ritum iuxta mentem Benedicti XIV eiusque Euchologium redire non tardarentur.

Talis imprudens agendi modus, ut facile intelligi potest, magnum scandalum in sinu Ecclesiae Ruthenae excitavit.³⁹ Encyclica, quam Tur-

³⁶ Secundum nostram opinionem versio Euchologii apud Metropolitanum remansit, qui vel ipse vel per alios observationes dare debuit. Sed eventus politici 1792-1795 opus revisionis impeditiverunt.

³⁷ Cfr. de hoc nostram introductionem, pag. 9.

³⁸ Exemplar huius pastoralis extat in ASV, NUNZ. DI POLONIA, t. 344/III, fasc. 93, (Folia spectantia ad Archiep. Polocensem H. LISOWSKYJ).

³⁹ Cfr. «Observationes in Encyclicam» nomine H. LISOWSKYJ publicatas, probabiliter ex anno 1796 (ASV, NUNZ. POLONIA, t. 344/III, fasc. 93, non pag.).

kiewicz publicavit, infeliciter cum sic dicta « reunione » Ecclesiae Ruthenae cum Ecclesia Rossiaca statali in Ukraina (1794-1796) concurrebat et multos in errorem inducere poterat. Imprudens Georgii Turkiiewicz zelus totum reformationis opus infinitavit et odiosum fecit. Ipse Lisowskyj apud Nuntium Varsaviensem (Litta) contra encyclicam protestavit⁴⁰ et modum agendi sui olim Vicarii Generalis reprobavit.⁴¹

Encyclica anni 1795 absque dubio ipsam reformationem liturgicam malae famae praedam fecit et mentem cleri rutheni contra eandem male dispositus. Hic est igitur principalis causa insuccessus operis Archiepiscopi Polocensis. Hic etiam simul ratio habetur, cur Archiepiscopus post annum 1795 suum opus amplius non urgebat. In suis epistulis, post annum 1795, cum ad Romanum Pontificem, tum ad eius legatos apud aulam Petropolitanam, Litta et Arezzo, scriptis, nulla mentio de reformatione liturgica vel de Euchologio Benedicti XIV occurrit. Et quamquam H. Lisowskyj usque ad mortem suam fidelis suae ad « ritum purum » inclinationi permanxit et in hoc spiritu etiam clerum suum educare conabatur, attamen ideam reformationis Ritus Rutheni demum ut praematuram, intempestivam et periculosam reicere debuit.

Solummodo circa 20 annos post mortem Heraclii Lisowskyj opus reformationis Ritus Rutheni denuo agitabatur (1831-1839). Hac vice promotores motus « puristici » famosi apostatae Siemaško, Lužynskyj et Zubko exfiterunt. Siemaško una cum suis collaboratoribus hunc motum ex aliis quam Lisowskyj motivis initaverunt. Propugnata ab eis reformatio Ecclesiam Ruthenam ad rumpendam Unionem cum Ecclesia Romana praeparare debebat, et revera anno 1839 ad violentam destructionem Ecclesiae Ruthenae in Lituania et Alba-Russia conduxit.⁴²

⁴⁰ ASV, NUNZ. POLONIA, t. 344/III, fasc. 93, (Epistula Heraclii Lsowskyj ex die 20-III-1797 ad Nuntium L. Litta). Cfr. etiam ROUET DE JOURNEL, *Nonciature de Litta* (1797-1799), Città del Vaticano 1943, pag. 16 et 33.

⁴¹ Cfr. epistolam H. LISOWSKYJ ex die 8-VI-1796 ad metropolitanum Mohiloviensem St. Siestrzencewicz (ASV, NUNZ. POLONIA, t. 344/III, fasc. 93). Ex hac epistula scimus, Heraclium Lisowskyj ad publicationem Encyclicae anni 1795 suum consensum denegasse.

⁴² Cfr. LIKOWSKI E., *Dzieje..., II*, pag. 82-91, 95-96; P. LESCOEUR, *L'Eglise catholique en Pologne sous le Gouvernement Russe*, I, (Paris 1876), pag. 145-147, 155-165.

CAPUT II.

De idea principali reformationis liturgicae Heraclii Lisowskyj.

1. *De principiis reformationis liturgicae.* - 2. *De innovationibus liturgicis ex tempore post Synodum Zamostensem.* - 3. *Iudicium Heraclii Lisowskyj de Synodo Zamostensi.* - 4. *De clausula in approbatione eiusdem Synodi.* - 5. *De valore iuridico Synodi secundum H. Lisowskyj.*

Exposita historia reformationis liturgicae Heraclii Lisowskyj nunc ad systematicam illius expositionem accedimus, scilicet ad expositionem ideae illius reformationis necnon obiecti, ambitus, motivorum et finis eiusdem.

In praesenti capitulo primo nobis examinandum est, in quo reformatio liturgica secundum mentem Heracli Lisowskyj consistat, id est qualem ideam de illa habuerit, vel potius quibus niteretur principiis in illa propugnanda.¹

1. Ex omnibus epistulis, in quibus H. Lisowskyj quaestionem de rebus liturgicis movebat, primum est concludere, eum omnino claram et determinatam ideam reformationis liturgicae habuisse. Ut alii verbis utar: Heraclius Lisowskyj non quamcumque reformationem liturgiae ruthenae, sed bene praemeditatam et secundum quaedam principia fundamentalia elaboratam propugnabat. H. Lisowskyj primus est inter reformatores Ritus Rutheni, qui non contentus partiali et superficiali reformatione liturgica eam totalem ac radicalem et super firmo fundamento ideologico aedificatam esse voluit.

Si breviter eius gentiunam mentem quoad reformationem liturgicam enuntiare vellemus, dicendum esset opus reformatorium Archiepiscopi Polocensis huc essentialiter spectavisse, ut Ritus Ruthenus rediret ad suam pristinam formam, qua tempore Unionis Ecclesiae Ruthenae cum Ecclesia Romana in Synodo Brestensi (1596) gaudebat. Haec est idea principalis Heraclii Lisowskyj, quae in eius epistulis partim clare exprimitur, partim supponitur et subintelligitur.

¹ In exponenda mente Heraclii Lisowskyj non semper servamus stricte ordinem chronologicum eius epistularum, id est non percurrimus eius epistulas unam post aliam, sed ex omnibus eius epistulis id, quod commune est, enucleamus. Iuvat hic notare, H. Lisowskyj non semper in suis scriptis claritate et perspicuitate eminere ac interdum nimia prolixitate et crebris repetitionibus peccare.

Ex hac reformationis idea duo principia fundamentalia deduci possunt: a) primum sunt tollendae omnes innovationes in Ritu Rutheno post Synodum Zamostiensem (1720) inductae, et b) deinde sunt abrogandae etiam modificationes per praefatam Synodum sive sanctitae sive constitutae.

Ambo principia sunt igitur nobis fusius explicanda ex ipsis Heraclii Lisowskyj verbis.

2. De mutationibus in liturgiam ruthenam post Synodum Zamostiensem introductis loquitur H. Lisowskyj in epistula ad S. Congregationem de Propaganda Fide 22 Februarii 1786.² Hic S. Congregationem expresse petebat, ut ei « benigne permetteret adiuvaretque abusus, qui in Ritum nostrum a tempore Zamoscianae Synodi et vel maxime in Sacrae Missae Caeremonias irrepserunt, reformare ».³

Adhuc clariorem textum praebet epistula 28. Decembbris eiusdem anni, qua H. Lisowskyj per modum principii generalis suam mentem sic exprimit: « Quantum mihi in Domino videtur, ajo, omnes illas (corruptelas) auferendas esse, quae antiquum Ritum Graecum a Sanctis Patribus traditum et a Ruthena gente post susceptam fidem christianam perpetua consensione in Unitorum quoque Ecclesia usque ad annum circiter 1730 — alias ad aliquot annos post Synodum Zamoscianam servatum, funditus evertunt et inepte affectata in morem simiae imitatione cum Ritu latino permiscent ».⁴

Igitur secundum opinionem Archiepiscopi Polocensis reformatio liturgica usque ad tempus immediate post Synodum Zamostiensem redire debebat, ex hac enim periodo omnes « abusus » et « corruptelae » Ritus Rutheni originem ducunt. Imo secundum opinionem Heraclii Lisowskyj antiquus Ritus Ecclesiae Ruthenae « plus quam integro saeculo post susceptam Unionem utcumque illaese in tota unita Ruthena Ecclesia servabatur ac primum post Synodum Zamoscianam sensim coepit oscitatione nostrorum Episcoporum corrumpi et pessime inconsulta Sede Apostolica pro libitu cuiusvis privati in dies immutari ».⁵

² Iam in prima epistula, die 25-I-1785 Romam scripta Lisowskyj postulabat, ut ritus et caeremoniae a Synodo Zamostensi reformata ad pristinam formam reducerentur, attamen huius epistulae textum inventire non potuimus. De eius tenore et arguento refert epistula responsiva Cardinalis Praefecti L. ANTONELLI 14 Maii 1785 (Cfr. ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 70, fol. 201rv).

³ ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 149, fol. 546; etiam in ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 70, fol. 302.

⁴ APF, *Scritt. Rifer. Congr. Gener.*, vol. 876, fol. 353. ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 149, fol. 608v.

⁵ APF, *Scritt. Rif. Congr. Gener.*, vol. 876, fol. 353v; ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 149, fol. 600. — Similis textus habetur etiam in *« Encyclica »* Heraclio Lisowskyj attributa: « Ante efformatam dispositionem synodalem Zamoscianam... religio sancta sine ulla additamentis propagata (erat). Articuli Apostolici (Credo!) ut in se decantati (id est sine « Filioque ») in celebrazione Missae, a sacerdote cleroque minori solius Episcopi aut Archiepiscopi loci fiebat commemoratio... At postquam praedicta Synodus de novo inventas, praescriptas, corruptas, partim ex latino partim ex Graeco compositas atque compilatas typis impressas caeremonias Suprasliae, Vilnae sine scitu et approbatione etiam Sedis Romanae divulgavit ac publicas declaravit, - dictu incredibile est, quanta depravatio, quantae inconvenitiae, errores, consuetudines indecentes ad Ecclesiam Unitorum irrepserunt, usque adeo, ut dubitandum iure sit (si excipias fermentatum panem), quo ritu quoque methodo celebratur Missa... » (ASV, NUNZ. POLONIA, vol. 344/III, fascicolo 93).

Quid est dicendum de veritate huius opinionis? Estne verum, Ecclesiam Ruthenam usque ad Synodum Zamostiensem antiquos ritus iliae conservavisse et solum post Synodum illos ritus corrupsisse?

Nemo certe, qui historiam evolutionis Ritus Rutheni bene cognoscit, negare potest, Ritum Ruthenum post Synodum Zamostiensem suam pristinam formam amisisse et nonnullas caeremonias in Missae Sacrificio et Sacramentorum administratione e Ritu Latino transsumpsisse. Hoc iam in introductione innuimus. Ex alia tamen parte non est verum Ritum antiquum in Ecclesia Ruthena illae servatum fuisse usque ad tempus Synodi Zamostjensis et nonnisi post illam corrumpi et immutari coepisse. E contra, ex documentis scimus, quod iam ante Synodum Zamostiensem, id est circa medium saeculum XVII, antiquus Ritus Ecclesiae Ruthenae multis in rebus immutari coepit.⁶

Utrum H. Lisowskyj in determinanda origine mutationis rituum nescientia laboraverit, an potius consulto terminum alterationis in tempus post Synodum Zamostiensem transtulerit, quo facilius Sedem Apostolicam ad reformationem liturgicam adducere possit, — non clare constat.

3. Qualis est nunc mens Archiepiscopi Polocensis quoad ritum alterationes in ipsa Synodo Zamostensi introductas?

Hac in re H. Lisowskyj non semper clare exprimitur. Attamen nullum dubium esse potest, quin saltem indirecte et implicite inter « abusus » et « corruptelas » Ritus etiam statuta Synodi Zamostensis recenseret. Dicimus: « saltem indirecte et implicite », quia directe et explicite Synodus reicere non audebat neque, ut postea videbimus, omnes eiusdem innovationes quoad ritus abrogare studebat. Attamen ex sua reformationis liturgicae generali idea quodammodo necessario contra statuta Synodi Zamostensis insurgere debuit.

Imprimis obicit Synodo Zamostensi, quod « nonnullos Ritus antiquos Ecclesiae nostrae immutaverit ».⁷ Hoc factum est a Patribus modo inconsequenti et quasi contra illorum voluntatem antiquos ritus conservandi: « Evidem Synodus Zamosciana Tit. III « de Sacramentis » decernit Caeremonias a Patribus sibi traditas esse retinendas, at in hoc secum ipsa pugnans plures easque antiquissimas tum ibidem in sequentibus decretis tum alibi tollit ».⁸

H. Lisowskyj habet evidenter in mente abrogationem antiquarum caeremoniarum et usum Ritus Rutheni, uti sunt usus spongiae,⁹ ritus

⁶ Ad confirmandum iuvat inspicere varia documenta ad saeculum XVII pertinentia, uti sunt: « Capitulorum Volumen... » (*Archeogr. Sbornik*, t. XII (Vilnae 1900)); « Epanorthosis sive Perspectiva... » CASSIANI SAKOWICZ (Cracoviae 1642), scriptum Petri KAMINSKYJ, editum a V. ŠČURAT: « V obroni Potiyevoji Uniji » (Leopoli 1929); necnon editionem *Liturgici a Metropolitanu Żochowskyj* factam (Vilnae 1692).

⁷ Epistula ad metrop. J. SMOGORZEWSKYJ ex die 8-II-1786 in ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 149, fol. 568.

⁸ ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 149, fol. 546, et t. 70, fol. 302 (*Epistula ad S. Congr. de Prop. Fide*, die 22-II-1786).

⁹ « Quamquam usus spongiarum ad abstergendam Patenam antiquus sit in nostri Ritus Ecclesia, illum tamen omnino abrogandum censuit Sancta Synodus, digitoque, prout in latina Ecclesia patenam abstergi iubet » (SPRZ, Tit. III, par. IV, *De celebratione Missarum*, pag. 72).

infusionis aquae calidae in calicem ante communionem,¹⁰ mos communionem infantibus ministrandi¹¹ et alia huiusmodi.

Hanc inconsequentiam seu repugnantiam inter verba et opera Partium Synodi H. Lisowskyj non solum carpit, sed etiam eidem inconsequentiali attribuit id, quod ipsa Synodus nonnisi « conditionatam approbationem a Sede Apostolica obtinuit ».¹² Accusatus apud Metr. J. Smogorzewskyj inobservantiae constitutionum Synodi Zamostiensis H. Lisowskyj ita se defendit: « Synodus Zamosciana licet nonnullos Ritus antiquos Ecclesiae Nostrae immutaverit, nihilominus a Sede Apostolica cum hac clausula approbationem obtinuit: — Approbamus non derogando antiquis — ».¹³

In favorem suae de Synodo Zamostensi opinionis appellat H. Lisowskyj ad auctoritatem Benedicti XIV, eiusque verba ex famosa Encyclica « *Allatae sunt* » citat, ubi ille Pontifex de clausula in confirmatione Synodi Zamostensis a Benedicto XIII inserta loquitur.¹⁴

Synodus Zamostensis, uti notum est, anno 1724 a Romano Pontifice Benedicto XIII approbationem « in forma specifica » obtinuit. Attamen in decreto confirmationis Romanus Pontifex hanc apposuit clausulam: « *Synodum... omniaque, et singula in ea edita statuta, ordinaciones, et decreta, authoritate Apostolica tenore praesentium confirmamus, et approbamus, illisque inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adiiciimus, ita tamen* quod per nostram praedictae Synodi confirmationem nihil derogatum esse censeatur Constitutionibus Romanorum Pontificum Praedecessorum nostrorum, et Decretis Conciliorum Generalium emanatis super Ritibus Graecorum, quae non obstarite huiusmodi confirmatione semper in suo robore permanere debeant, ac salva semper in praemissis autoritate Congregationum eorumdem Cardinalium ».¹⁵

4. De significatione et valore iuridico clausulae in confirmatione Synodi Zamostensis multa dici possunt, sed nos hac de re tractare omitterimus.¹⁶ Nostra magis interest, quomodo Heraclius Lisowskyj hanc clausulam intellexerit et interpretaverit.

¹⁰ « Inhibet Sancta Synodus gravem ob causam, et abrogat toleratam in Orientali Ecclesia consuetudinem ad consecratas calicis species aquam tepidam effundendi post consecrationem, ante Communionem ». (IBIDEM, pag. 73, 74).

¹¹ « Etsi apud Orientales perpetuo servata fuerit et nunc etiam servetur consuetudo admittendi Infantes, et pueros rationis expertes ad Sacram Eucharistiam..., Sancta Synodus statuit, ob reverentiam tanto Sacramento debitam, ut ii post-hac ad Sacram Communionem, si ea privari sine scandalo possint, non ante admittantur, quam ipsis diligenter examinatos, et instructos, eius aetatis, et discretionis eos compertum fuerit, ut diudicare possint Corpus Christi » (tit. III, § 3, pagina 68-69),

¹² ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 70, fol. 302.

¹³ ASV, ARCH. NUN. VARS., t. 149, fol. 568.

¹⁴ « *Allatae sunt* » (1755), par. 16. (*Jus Pontificium de Prop. Fide I*, vol. III, (1890), pag. 602).

¹⁵ Cfr. textum illius decreti in SPRZ, Romae 1883, ed. 3-tia, pag. VIII.

¹⁶ De hac clausula fusius habetur apud varios auctores: (A. THEINER), *Die neuesten Zustände...*, pag. 279-280; J. GAGARIN, *La Russie sera-t-elle catholique?* (Paris 1856), pag. 9-11; E. LIKOWSKI, *Dzieje Kościoła Unickiego*, I, pag. 45-46; S. PAVLOVIĆ, *Opyt istoriji Zamyskaho Uniatskaho provincialnago Sobora* (1720 god), Grodno 1904, pag. 144-146; J. M. HANSSENS S. J., *La forme sacramentelle dans les ordinations sacerdotales de rit grec*, (« *Gregorianum* » V (1924), pag. 268-270; BILANCZ J., *De Synodi Zamosciensis celebrazione, approbationis forma et ad ius ecclesiasticum Ucrainorum vigens relatione*. Romae 1944, (manuscr.) pag. 180.

Imprimis notandum est, Archiepiscopum Polocensem, in quantum scimus, fuisse primum qui de clausula in confirmatione Synodi Zamostiensis quaestionem movere coepit. Ipsam vero clausulam ita intellexit, quod Synodus non absolutam sed conditionatam confirmationem obtinuit. Proinde innovationes quoad liturgiam in Synodo introductae revocari et reformari possunt, imo revocari deberent, si Romani Pontifices suas promissiones de conservando illaese antiquo Ritu Rutheno tueri et sustinere in animo habent.

De his promissionibus loquitur H. Lisowskyj in epistula 28-XII-1786 tum ad S. Congregationem de Prop. Fide, tum ad Nuntium Saluzzo data: « Antiquus Ritus Graeco-Ruthenus non modo a Sancta Sede Apostolica toties approbatus, verum et in decreto Unionis cum eadem Sancta Sede ab Episcopis Ruthenis anno 1596 initiae solemniter cautum est, ut idem antiquus Ritus illaesus in post servaretur, et in subsequenti Paulus V Summus Pontifex per breve declaravit, non esse Ecclesiae Romanae mentem et intentionem vel voluntatem eundem antiquum Ruthenum Ritum tollere, quin imo eum benigne Ruthenis Episcopis et clero indultum atque concessum esse ».¹⁷

Etsi H. Lisowskyj in suis epistulis valde caute et circumspecte de Synodo Zamostensi loquebatur et expresse contra eandem disserere vietabat, tamen nullum dubium esse potest, quin hanc Synodum aegre tulterit. Hoc comprobat non solum id, quod nonnulla praescripta Synodi non observabat,¹⁸ sed etiam illud, quod ita de eo multi contemporanei, praesertim vero Romae sentiebant.¹⁹

Non erit supervacaneum hic addere, quod opinio Heraclii Lisowskyj de conditionata Synodi Zamostensis confirmatione postea invenitur fere apud omnes reformatores Ritus Rutheni saeculi xix: J. Siemaszko,²⁰ J. Woicickij,²¹ J. Naumovyc²² et M. Popiel,²³ qui Synodum Zamostensem oppugnando ad clausulam in eiusdem Synodi confirmatione appellabant.²⁴

5. Falsum tamen esset putare, quod H. Lisowskyj omnino Synodum Zamostensem condemnabat vel parvi pendebat. In suis epistulis, data occasione, laudat praefatam Synodum, quod antiquas caeremonias et ritus servare et uniformitatem procurare volebat. Extollit sinceram voluntatem Patrum Synodi conservare antiquos ritus, et quod ad hunc finem novum Rituale a Metropolitanu componi iusserunt. Ad Metr. J. Smo-

¹⁷ APF, *Scritt. Rifer. Congr. Gener.*, vol. 876, fol. 553v.

¹⁸ « Abrogatum usum spongiarum ad purificandum calicem... tepidaeque aquae infusionem in Vinum Consecratum admittit (H. Lisowskyj), tamquam disuniti » (*Relatio P. Dionysii Czaday, ARCH. NUNZ. VARS.*, t. 149, fol. 538).

¹⁹ De his postea fusius tractabitur in 2-da parte huius dissertationis.

²⁰ Cfr. LIKOWSKI E., *Dzieje Kościola Unickiego...*, II, pag. 51-52, 62-63, 288-289; *Zapiski Josifa Mitropolita Litowskiego*, I, (1883), pag. 515.

²¹ IBID., II, pag. 178-179.

²² Cfr. eius *« Appellationem »* ad Romanum Pontificem Leonem XIII, NAUMOVIC J., *Appellacija k papě Lvu XIII russkaho unijatskago svjaćennika...*, S. Petersburg, 1883, pag. 25.

²³ Cfr. apud LIKOWSKI E., *Dzieje Kościola unickiego...*, II, pag. 225.

²⁴ IBID., I, pag. 46, 58-59.

gorzewskyj ita de Synodo Zamostiensi scribit: « *Synodus Zamosciana licet nonnullos Ritus antiquos Ecclesiae nostrae immutaverit..., Caeremonias tamen in Missae Sacrificiis et administratione Sacramentorum antiquas observare iussit, atque ideo Metropolitano commendavit invigilare, quatenus fine observandae uniformitatis Ritus Ecclesiastici in tota Hierarchia conficiat Euchologium illudque pro examine et approbatione Sedi Apostolicae porrigat ».²⁵ Et loquendo de innovationibus post Synodum Zamostensem in Ritum Ruthenum introductis affirmat, illas nequaquam auctoritate Synodi iustificari posse, quia *Synodus « quoad traditionem SS. Patrum omnia fideliter observanda praecepit (Titulo 3 « De Sacramentis ») — sperando quod etiam Metropolitanus, quem obstrinxit, novum Rituale imprimi iubebit illudque suis Ecclesiis observandum fideliter tradet ».*²⁶*

Imo ipsos Patres Synodi excusare potius quam accusare conatur, dicendo eos propterea nonnullos antiquos ritus abrogavisse, ne ex parte Latinorum amplius propter varios usus liturgicos damnarentur: « *Patribus hujus Synodi contigit quod s. mem. Pontifex (Benedictus XIV) in sua Encyclica quae incipit: « Ex quo primum », ubi sub initium absolutum correctionis Euchologii Graeci opus commendat, sapientissime advertit inter alia ajens: « iniusta quippe et fallax Ecclesiaeque paci atque unitati contraria est eorum iudicantium ratio, qui latinorum tantummodo ritualium notitiam habentes, nec aliud scientes praeter ea, quae tradiderunt nonnulli ex nostris scriptoribus, nostrarum quidem rerum periti, sed graecarum consuetudinum rudes, eiusque rationis ignari, quam semper cum ipsis sequuta est Apostolica Romana Sedes, non dubitarunt in sacris Graecorum ritibus ea omnia damnare, quaecumque latino riti conformia et consentanea non reperiebant »,²⁷ — atque hoc est quod eosdem Patres excusare potius quam accusare malui ».*²⁸

Inter innovationes Synodi Zamostensis non omnes ab Archiepiscopo Polonensi reiebantur, imo ipse duas retinendas esse voluit, nempe commemorationem Romani Pontificis in liturgia et additamentum « *Filioque* » ad Symbolum Fidei.²⁹

Ex omnibus hucusque de idea reformationis liturgicae apud Heraclium Lisowskyj expositis haec conclusio deduci potest: *Reformatio liturgica secundum mentem H. Lisowsnyj in hoc consistere debebat, ut Ritus Ruthenus ad suam pristinam formam, quam habebat tempore Unionis Brestensis, reduceretur, exclusis omnibus abusibus et « corruptelis » non solum post Synodum Zamostensem illegitime introductis, sed etiam nonnullis auctoritate Synodi inventis.*

²⁵ *Epist. ad Smogorzewskyj*, 8-II-1786, ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 149, fol. 568rv.

²⁶ *Ibidem*, fol. 569v.

²⁷ « *Ex quo primum* » (1-III-1756), § 7. *Jus Pontificium de Propaganda Fide*, pars I, vol. III, (Romae 1890), pag. 631.

²⁸ *Epist. ad S. Congr. de Prop. Fide*, 22-II-1786, ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 70, fol. 302v.

²⁹ *Epist. ad Smogorzewskyj*, 8-II-1786, ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 149, fol. 570. Cfr. etiam *epist. ad S. Congr. Prop. Fide* die 23-XII-1787, in ASV, ARCH. NUNZ. VARS.; t. 149, fol. 630v.

CAPUT III.

De obiecto reformationis liturgicæ: Abusus reformandi in S. Missæ Sacrificio (1).

1. *Omissio Missæ cantatae.* - 2. *Abbreviationes in Missa cantata.* - 3. *Innovationes in ritibus Proscomidiaæ.* - 4. *Abusus in principio Missæ.* - 5. *Suppressio Parvi et Magni Ingressus.* - 6. *Introductio expansionis manuum et genuflexionum.* - 7. *Ritus conversionis ad populum et benedictiones.* - 8. *Abusus in fine Missæ.* - 9. *Innovationes in Missis pro defunctis.*

Ab expositione reformationis liturgicæ ideæ transeamus ad indicandos abusus et innovationes liturgiae ruthenæ, quae secundum H. Lisowskyj erant reformanda,

In hoc capite recensebimus abusus corruptelasque in S. Missæ Sacrificio. Fons ipse erit pro nobis epistula ad S. Congregationem de Prop. Fide 28 Decembris 1786,¹ in qua H. Lisowskyj, ut expressæ voluntati S. Congregationis obtemperaret, sat accuratum et minutiosum elenchum abusuum liturgiae ruthenæ composuit.² Certe hic elenus longe non est completus, quia ipse H. Lisowskyj fatetur: « Quas corruptelas atque insulsas novitates, si omnes recensere vellem, desiceret me tempus enumerantem. Mandatis nihilominus Sanctæ Sedis Apostolicae obtemperans, peculiares enarro, quae scilicet in nostris Ritualibus praesertim Suprasliensi, Vilnensi, Unioviensi post Synodum Zamoscianam editis... passim occurrunt ».³

Abusus, quos indicat, desumit H. Lisowskyj imprimis ex Euchologiis et Missalibus post Synodum Zamostensem editis, sed multa ab eo afferuntur, quae in libris liturgicis saeculi xviii haud inveniri possunt, sed in Ecclesia Ruthena illius temporis passim in usu erant. Diligenter igitur nobis erit distinguendum inter usus liturgicos scriptos et non-scriptos. Praeterea notandum est abusus ab H. Lisowskyj allatos non in

¹ APF, *Scritt. Rifer. Congr. Gener.* (anni 1787), vol. 876, fol. 354-355. Cfr. etiam epistulam H. Lisowskyj ad Nuntium Saluzzo 28-XII-1786, in qua iidem abusus ad verbum repetuntur (ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 149, fol. 609v-611v).

² Nonnullos abusus in liturgia ruthena indicavit H. Lisowskyj iam in epistulis: 25-I-1785 et 22-II-1786, sed S. Congregatio de Prop. Fide non erat contenta generalibus et nimis vagis indicationibus, prouindeque H. Lisowskyj rogavit, ut accuratius quae reformanda essent, indicare vellet.

³ APF, *Scritt. Rif. Congr. Gener.*, vol. 876, fol. 353v. In eadem epistula (fol. 355) sic dicit: « Si omnes (corruptelas!) singillatim recensere vellem, Librum non Epistulam scribebam ».

tota Ecclesia Ruthena sed passim hic et illic observatos fuisse.⁴ Quam ob rem nos, inquantum possibile erit, pro unoquoque abusu fontem aliquem vel documentum afferre conabimur. Pro hac documentatione praeter Euchologia et Missalia typis edita,⁵ etiam Euchologiis et Missalibus manuscriptis saeculi XVII- XVIII⁶ utemur, denique variis documentis contemporaneis sive editis sive manuscriptis, quorum saltem sparsae notitiae de praxi liturgica in Ecclesia Ruthena saeculo XVIII adhiberi possunt.⁷

1. OMISSION MISSAE CANTATAE.

Missae cantatae ut plurimum intermittuntur, unde sensim antiqua devotio populi refrigerescit.

Sermo est de omissione Missarum solemnum, nempe de omissione Missarum diebus Dominicis et Festis cantatarum, quando populus ad Sacrum audiendum tenebatur. Ex hac omissione, ut conqueritur Archiepiscopus Polocensis, « sensim antiqua devotio populi refrigerescit ».

Quod huiusmodi omissiones non raro occurrabant, clarum habemus testimonium in decretis pro Synodo anno 1765 celebranda elaboratis, in quibus sub poenis praescribitur, ut diebus Dominicis et Festis S. Liturgia cantata absolvatur.⁸ Mos omittendi missas cantatas praesertim in regionibus Lithuaniae invaluit et quidem cum scandalo Schismaticorum, uti in iisdem decretis expresse dicitur.⁹

In alio documento causa huius abusus innuitur. Saltem in ecclesiis Lithuaniae aderat inopia librorum liturgicorum et magna penuries can-

⁴ « *Abusus hos, qui non sunt omnibus unitis Ecclesias communes, sed iam in his, iam in aliis inveniuntur, in aliquibus maiores, in alio minores, sensim et circumspecte emendare debere a Nostris...* » (*Observationes in Missam Polocensem*) — ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 149, fol. 527).

⁵ Proh dolor non potuimus omnibus Missalibus et Euchologiis ad quae H. Lisowskyj alludit, uti, quia Romae non habentur.

⁶ Pro manuscriptis Euchologiis et Missalibus saeculi XVII-XVIII utimur dissertatione ODINCOV N. T., *Uniatskoje bogosluženije v XVII i XVIII věkach po rukopisiam Vilenskoj publičnoj biblioteki*, (*Litovskija Eparchijalnyja Vědomosty*), N. 1886, pag. 186ss).

⁷ Hic nominanda sunt: « *Poučenije o obrjadach christijanskych* » (Počaev 1779), « *Bogoslovija nravoučitelnaja* », Leopoli 1760 (3 ed.), « *Narodověščaniye ili slovo k narodu katolickomu čredu monachov čina sv. Vasilija Velikako* », Počaev 1756. Ex manuscriptis ineditis utimur: « *Compendium ex materiis Synodalibus ad formandas Constitutiones in Congregationibus Ante-Synodalibus examinatis et digestis excerptum* » — (Ex anno 1763-1765), ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 99. — « *Observatio brevis super ritibus sacris a Ruthenis Unitis usitatis...* », Patris P. WAŻYNSKIJ OSBM (1788). APF, *Scritt. Rifer. Congr. Gener.* (1788), t. 879, fol. 45-59. — « *Observationes in Missam Polocensem* » (Anonymous, ex anno 1790), ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 149, fol. 526-531.

⁸ « *Officia Divina, Matutinum scilicet, Horae et Vesperae omnibus diebus Dominicis et Festis nullis omisis Caeremoniis in Ecclesie Parochialibus absolvantur necnon s. Liturgia cantata sub pena, quotiescumque aliquis Parochus contra praesentem Constitutionem deliquerit, Marcarum quinque* » - « *Compendium...*, Art. 5-tus, § 8. ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 99, fol. 37v).

⁹ « *Diebus Festis ac Dominicis Liturgiae in omni Ecclesia parochiali decantentur sub poenis aumoenalibus seminarisi applicandis. Eiusmodi quippe Missarum praecipue in Lithuania omissione Schismatici plurimum Sanctam Unionem refugiunt et Unitorum in sacris Ritibus exercitatio deficit* »; (ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 99, fol. 64. — « *Desiderata ex Dioecesi Polocensi in Consultationibus Ante-Synodalibus porrecta* »).

torum, qui pro celebratione Missae solemnis necessarii erant.¹⁰ Huic defectui consulere conabantur auctores decretorum pro Synodo anno 1765 celebranda statuentes, ut in unaquaque ecclesia officium cantoris ex redditibus Parochiarum sustentati conservaretur.¹¹

Uti supra dictum, H. Lisowskyj carpit omissionem Missae cantatae diebus Dominicis et Festis. Nunc possit quaestio poni, quid Archiepiscopus Polocensis de Missa lecta seu privata senserit: Utrum morem Missae lectae tamquam abusum consideraverit, an conservare vel ad summum tolerare voluerit?

Hac in re distinguendum esse videtur. H. Lisowskyj nullibi in suis ad S. Congregationem de Prop. Fide vel ad Nuntium Varsaviensem epistulis exigebat, ut Missa lecta abrogaretur. Tamen ex relationibus tum ipsius Nuntii Saluzzo tum aliorum concludere debemus, Archiepiscopum Polocensem Missas privatas aegre toleravisse et de eorum suppressione cogitasse.

Anno 1785 Nuntius Varsaviensis ad Cardinalem Praefectum L. Antonelli referebat, Heraclium Lisowskyj suppressionem Missae lectae in mente habere.¹² Ex alia informatione anni 1787, quam Ep. Stephanus Lewinskyj ad Metropolitanum J. Smogorzewskyj transmisit, audimus H. Lisowskyj in sua dioecesi celebrationem Missae lectae extra casum necessitatis prohibuisse.¹³

Huius rei ulteriora documenta nobis attamen desunt. Et si revera H. Lisowskyj Missam lectam abrogavisset, hoc sine scandalo certe non evenisset, quia mos Missae lectae adhuc medio saeculo XVII in Ecclesia Ruthena invaluit,¹⁴ et in Synodo Zamostiensi saltem indirecete comprobationem obtinuit.¹⁵

¹⁰ Auctor «*Observationum in Missam Polocensem*» loquitur de omissione Missarum solemnium, quae «pluribus in locis (praeternitti) incoepertunt, maxime in ecclesiis saecularibus, in quibus *praesertim in Lithuania* ob librorum et cantorum penurie vix quando Missa et cetera Officia canuntur» (ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 149, fol. 527).

¹¹ «Cantores paenes unanimaque ecclesiam Parochiale et custos ecclesiae seu Sacristanus clerici conserventur, quodsi aliqua ecclesia pro Cantore et Sacristano nullam distinctam dotem habuerit assignatam, nec ex redditibus Parochi..., assignari posset, Parochianis onus incumbet, convenientem pro huiusmodi Clericis dotem providere» (*Compendium...*, ut supra, § 8, fol. 37).

¹² «Qui si teme, che (Lisowskyj) voglia anche sopprimere le Messe Basse, così che tutta la conformità avrebbe con lo stile de' Greci Scismatici, i quali non hanno che le solenni» (SALUZZO ad Antonelli, 8-VI-1785, in APF, *Scritt. Rifer. Congr. Mosc. Pol. Rut.*, t. 15, fol. 555v, — idem in ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 78, fol. 16v-17).

¹³ «Prohibitum est (a Lisowskyj) celebrare Missam lectam, nisi particulariter in Ecclesia cum uno servitore clausis ianuis in casu urgentis necessitatis» (LEWINSKYJ ad J. Smogorzewskyj 24-VIII-1787, in «*Akty Vil. Archeogr. Komisji*, t. XVI (Vilnae 1889), pag. 387-388).

¹⁴ Cfr. testimonium apud CASSIANUM SAKOWICZ, *Epanorthosis sive Perspectiva...* Cracoviae 1642, pag. 28. Fusius de introductione Missae lectae tractat J. PRASZKO, *De Ecclesia Ruthena Catholica sede metropolitana vacante 1655-1665. Appendix: Vicissitudines ritus byzantino-slavici saec. XVII*, pag. 252-253.

¹⁵ «Uniformitas Caeremoniarum cum omni modestia, devotione et gravitate ab omnibus servetur, tam in Missis cantatis, quam in lectis, quarum frequens usus omnibus Sacerdotibus commendatur» (Tit. III, § IV. «De celebratione Missarum», SPRZ, pag. 73).

2. ABBREVIATIONES IN MISSA CANTATA.

Alii praesertim in templo latino Missam partim cantatam, partim lectam celebrant.

De abbreviatione Missae cantatae in Missalibus saeculi XVIII nihil invenitur, sed certo alicubi occurrisse debebat. Pro causa huius abusus H. Lisowskyj indicat circumstantiam, quod sacerdotes rutheni praesertim in templis Latinorum hoc facere praesumunt.

Revera mos erat in regionibus potissimum Lithuaniae, quod sacerdotes rutheni in latinis, latini vero in ruthenis ecclesiis Missam celerabant. Hoc fiebat maxime in civitatibus ubi fideles utriusque Ritus permixtum vivebant nec semper propriam ecclesiam habebant. Praeterea non raro concionatores alterius Ritus in ecclesias ad praedicandum invitabantur. Occasione maiorum solemnitatum, ut v. gr. Festo SS. Eucharistiae, Festo Epiphaniae vel in commemoratione B. Josaphat clerus utriusque Ritus in unam ecclesiam conveniebat et processionibus intererat.¹⁶

Huiusmodi interritualis « communicatio in sacris » certo favebat mutuae aestimationi, spiritui catholicitatis et pacifica conviventiae inter fidèles et sacerdotib[us] utriusque Ritus. Altera ex parte haec consuetudo ansam dedit, quod nonnulli sacerdotes rutheni in ecclesiis latinis celebrantes varios ritus et ceremonias Missae cantatae pro arbitrio omittere coeperunt. Aderat hic praeter desiderium imitandi sacerdotes latinos etiam studium simplificationis et imprudentis abbreviationis hoc fine, ne filibus Ritus Latini Missa ruthena nimis molesta, taediosa et prolixa redderetur. Ita igitur fiebat, ut brevitatis causa Missam « partim cantatam partim lectam » celebrabant.¹⁷

3. INNOVATIONES IN RITIBUS PROSKOMIDIAE.

Alii, imo fere omnes in Proskomidia usum lanceae praetermitunt, neque sub id tempus, licet Ritualia nova quoque omnia id praescribunt, hostiam ex prosphora cruce et his litteris - IHC XC NH KA - signata excidunt, sed extra Missam servitor templi plures simul hostias ex una buncella, absque ullo signo crucis vel Passionis Domini abscidit, pro una et altera septimana asservandas.

De omissione usus lanceae in Proskomidia saeculo XVIII habemus testimonium in decretis elaboratis pro Synodo non-celebrata anni 1765, in quibus usum lanceae tum in Missis cantatis tum in lectis omnino re-

¹⁶ Cfr. multa testimonia de participatione cleri utriusque ritus occasione festorum in civitatibus Vilnae et Polociae in AS, t. X (Vilna 1874), pag. 309, 310, 316-317, 324, 326.

¹⁷ Morem Sacerdotum ruthenorū celebrandi in ecclesiis latinis et Sac. latinorum in ecclesiis ruthenis vehementer vituperat A. CHOINACKYJ, (*Zapadno-ruskaja cerkovnaja Unija v jeja bogosluženiji i obrjadach*, Kiev 1871, pag. 5-6) et in hac consuetudine ponit unam ex principalibus causis « latinisationis » Ritus Rutheni.

stitui decernitur.¹⁸ Ibidem etiam demandatur, ut proosphorae figuram crucis et litteras graecas ΙΣ ΧΡ ΝΗ ΚΑ in parte superiore habeant.¹⁹

Iure adnotat H. Lisowskyj, quod omissio lanceae et excisionis hostiae ex proosphora contra praescripta omnium etiam novorum Ritualium usurpatur. Omnia enim Missalia ruthena tum ante tum etiam post Synodus Zamostiensem edita ritum excisionis « Agni » et particularum in Proskomidia retinent.²⁰

Quando coeptum sit ritum excisionis hostiae et particularum et usum lanceae praetermittere, difficile est determinare. Iam medio saeculo XVII Cassianus Sakowicz ritum excisionis hostiae ex proosphora tamquam « anatomiam panis » deridebat et usum tum asterisci tum lanceae reiciebat.²¹ Synodus Zamostiensis hac in re nihil innovavit, sed solummodo praecepit, ut particulae ex proosphora in commemorationibus Proskomidiae extractae simul cum « Agno » consecrarentur.²²

Attamen omissio lanceae et excisionis particularum et hostiae paullatim ubique irrepertitur. Etsi omnia Missalia antiquum ritum Proskomidiae conservaverant, in praxi tamen ille non observabatur. Imo in Missali Unioviensi (1740) rubrica quaedam habetur, dicens, quod particulae non semper ex proosphora extrahendae sunt. Si extrahuntur, consecrandae sunt, extrahendae vero sunt solummodo, si fideles ad S. Communionem adsunt; si vero nemo ad S. Mensam accedit, excisio particularum omitti debet.²³

Haec praxis fere ubique recepta est. Temporibus Heraclii Lisowskyj usus hostiarum « siccarum », id est iam ante Proskomidiam ex proosphora extractarum, fere communiter in Ecclesia Ruthena invaluit. Usus lanceae obsolevit²⁴ et excisio particularum ex Proosphora rarissime et non nisi in Missis cantatis nonnullis in locis observabatur.²⁵

¹⁸ « Usus lanceae in Proskomidia et asterisci seu stellae non modo in solemnioribus, sed in privatis etiam Missis restituatur » (*Compendium...*, Art. 5, § 2 - ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 99, fol. 37).

¹⁹ « In praeparandis Proosphoris adhiberi demandat (Synodus) omnem curam, nitorem et diligentiam sintque signata antiquo Orientalis Ecclesiae Ritu abstinendo ab omnibus aliis figuris sola cruce cum litteris Graecis ΙΣ ΧΡ ΝΗ ΚΑ » (*Compendium*, Art. 5, § 12, — *ut supra* —, fol. 38).

²⁰ Cfr. MISSALIA post Synodus Zamostensem edita: UNIOVIENSE (1740), POČAJOVIENSE (1744) et alia POČAJOVIENSA (1755, 1765, 1788).

²¹ Cfr. « *Lithos sive Petra* » (responsionem Petri MOHYLA contra calumnias Sakowicz ed. GOLUBEV in *Archiv Jugo-Zapadnoj Rossiji*, pars I, tom. IX, (Kiev 1893), pag. 144.

²² « Sancta Synodus statuit, ac decernit, ut in posterum (particulae extractae) omnino consecrari debeat, ac in ipsius populi communionem distribui » (Tit. III, § 3, *De Eucharistia*, SPRZ, pag. 68).

²³ « Scire debet Sacerdos, multas particulas in Disco ponere non semper esse necessarium, sed tantummodo quando erunt fideles ad S. Communionem sese parantes.. Si vero nullus aderit ad Communionem tunc sufficiet ad celebrandum solus Agnus sine particulis, vel cum aliquibus tantum particulis... » (*Leiturgicon sive Služebnik*, Unev, 1740, pag. 7). - Haec tamen rubrica non in ipsa Proskomidia, sed extra illam ad initium Missae ponitur. Alia Missalia hanc rubricam ignorant.

²⁴ « Hoc instrumento (scilicet Lancea!) hac nostra aetate vix aliqua instructa Ecclesia reperitur. Neque enim sacerdotes solent ipsi ex pane proposito sibi excindere hostiam, sed hanc iam excissam et paratam a Sacrista assumere consueverunt » (« *Observatio brevis...* » P. WAŻYNSKI, APF, *Scritt. Rifer. Congr. Gener.* t. 879, fol. 54v).

4. ABUSUS IN PRINCIPIO MISSAE.

Ipsò initio Missae, ubi latinus Sacerdos iuxta Ritum suum præmittens generalem confessionem convertit se ad servitorem percutiendo pectus ad haec verba: « mea culpa » — nostri plures id ipsum faciunt ad istos versiculos: « Gloria in excelsis Deo » et « Domine labia mea aperies ».

De hoc abusu nullibi aliquam invenire indicationem potuimus, neque enim in Missalibus sive manuscriptis sive typis editis talis rubrica invenitur, nec alia documenta contemporanea percussionis pectoris initio Missae mentionem faciunt.

Attamen saltem valde similis usus reperitur in « *Ordine celebrationis divinae liturgiae lectae* »,²⁶ ubi statuitur, ut sacerdos, finita Proskomidia et calice cum patena in altari repositis et aëre coniectis, descendat gradus altaris et sese sistat ante illos et hic incipiat S. Missam. Ad versiculos: « *Gloria in excelsis* », et « *Domine, labia mea aperies...* » nullae tamen pectoris percussionses sed antiquo more inclinationes seu metaniae praescribuntur.²⁷

Haec rubrica in Missa lecta, quae evidenter initium Missae latinae imitatur, dedit probabiliter causam et incitamentum quod nonnulli sacerdotes in imitatione caeremoniarum Missae latinae ulteriorem adhuc gressum fecerunt, et ad praedictos versiculos percussionses pectoris introduxerunt. Iure supponi potest, percussionses pectoris primo a sacerdotibus ruthenis in ecclesiis latinis celebrantibus acceptas fuisse.

5. SUPPRESSIO PARVI ET MAGNI INGRESSUS.

Similiter omnes fere sub tempus Missae cantatae solemnes introitus minorem cum Evangelio et majorem cum calice per totum intermittunt, quae caeremonia in Orientali Ecclesia antiquissima et magnifica, adstantesque multum ad devotionem excitans et quam felic. recor. Benedictus XIV in sua Epistula, quae incipit: « Ex quo primum » honorifice vindicat.

Hic imprimis carpitur omissio Parvi et Magni Ingressus, qui in Missa cantata fiebat. H. Lisowskyj nihil de tali omissione in Missa lecta

²⁵ « Prophora utuntur etiam nostri Rutheni, ex qua extrahunt hostias et particulas, sed rarius et quibusdam dumtaxat in locis, plerumque enim, quemadmodum ad privatas Missas utuntur hostii iam aliunde paratis, ita ad Missam cantatam easdemque adhibere solent, dicentes tamen ea omnia, quae in sectionibus prophorae dici a Graecis solent. Ubi vero apud Ruthenos cum lancea extrahitur hostia, ex eadem prophora extrahuntur et particulae » (*Observationes in Missam Polocensem*), ASV, ARCH. NUNZ., VARS., t. 149, fol. 528).

²⁶ « *Ordo celebrationis divinae liturgiae lectae* » prima vice insertus est in *Liturgico Unioniensi* (1733) et postea in variis editionibus ad finem Missalis ponebatur. Nos utimur hoc « *Ordine...* » secundum *Liturgicum Počajoviense* (1755). « *Ordo celebrationis divinae liturgiae lectae* » exhibet accuratam descriptionem omnium in Missa lecta faciendorum et magnum influxum latinum praesefert.

²⁷ « Et stans (sacerdos) in inferiore loco seu gradu, se signat cruce (znamenajetsia) dicens: « *Gloria in excelsis...* » (ter), et accedens ad altare ipsum osculat s. mensam dicens: « *Domine, labia mea aperies...* » (*« Ordo celebrationis div. liturgiae lectae » - Liturgicum Počajoviense* (1755)).

dicit, quia in illa tum Parvus tum Magnus Ingressus de regula omittebantur, imo expresse in « *Ordine celebrationis divinae liturgiae lectae* » omitti iubebantur.²⁸

Sub influxu Missae lectae omissio Ingressum etiam in Missam cantatam irrepsit ita, ut tempore Heraclii Lisowskyj « fere omnes » eos omitterent. De hac omissione testimonium habetur in « *Praeparatoriis* » ad Synodum anni 1765.²⁹ Quoad tempus, quo haec omissio introduci coepit, nobis redeundum est ad saeculum xvii, quia iam P. Kaminskyj in suo scripto de suppressione Ingressum tamquam « rituum schismaticorum » conquerebatur.³⁰ Sed ex verbis P. Kaminskyj non liquet, utrum haec omissio in Missis tantum privatis, an etiam in cantatis usurpata fuerit.

Vindicando ritus Ingressum H. Lisowskyj recurrit ad auctoritatem Papae Benedicti XIV, qui in sua Encyclica « *Ex quo primum* » per longum et latum significationem amborum Ingressum et praesertim Magni Ingressus explicat.³¹ Proinde antiquitatem harum Caeremoniarum legitimitatemque agnoscit,³² imo innovationem vel abolitionem in his caeremoniis expresse prohibet. Dein vero monet, ut fideles instruantur, quod tempore Magni Ingressus speciebus transferendis nulli actus externae venerationis aut adorationis exhiberi debeant.³³

6. INTRODUCTIO RUBRICARUM QUOD MANUUM EXPANSIONES ET GENUFLEXIONES.

Item sub hymnos et Orationes, etiam ante Canonem crebrae manuum expansiones et genuflexiones.

a) *Expansiones manuum.* Rubricae quoad manuum expansiones sub influxu ritualis latini in Missa ruthena introductae sunt. Illas habent omnes editiones Missalis saeculi XVIII post Synodum Zamostensem factae,³⁴ imo in Missalibus pluries expansiones vel compositiones manuum in variis Missae partibus per figuram repraesentantur.³⁵ Crebrae fuerunt manuum expansiones non solum in Missae Canone, sed etiam ad varias orationes extra Canonem Missae, quod H. Lisowskyj speciali modo adnotat.

²⁸ Hoc saltem pro ritu Magni Ingressus expresse praescribitur « Vide, Sacerdos, ne tempore huiusmodi offertorii in Missa lecta ad populum cum calice te converti praesumas. Similiter intelligendum est in casu, si Missa cantari debet super aliquo altari sine praeparationis mensa et translatione (donorum) » (*Liturgicum Počajoviense* (1755), ad finem, non pag.)

²⁹ « In Missa alii faciunt parvum et magnum Ingressum, alii vero non » — (*Praeparatoria ad statuenda in futura Synodo provinciali Ruthena, ex Dioecesi Leopoliensi A. D. 1763 porrecta* » apud J. PELESZ, *Geschichte der Union...*, II, pag. 935).

³⁰ Cfr. V. ŠČURAT, *V oboroni Potjevoji Uniji*, (Leopoli 1929), pag. 89-90.

³¹ *Jus Pontif. de Prop. Fide*, pars I, vol. III, (Romae 1890), pag. 639-644, (§ 29-39).

³² IBID., pag. 641-642, (§ 35).

³³ IBID., pag. 643-644, (§ 39).

³⁴ Cfr. *Liturgicum Uniovicense* (1740) et *Liturgica Počajoviensis* (1744, 1755, 1765, 1788).

³⁵ Figuras expansionum manuum habent *Liturgicum Uniovicense* (1740) et *Liturgica Počajoviensis* (1744, 1755), omittunt vero *Liturgica Počajoviensis* (1765, 1788).

³⁶ *Liturgicum Uniovicense* (1740), pag. 24; — *Lit. Počajoviense* (1744), pag. 18; — *Liturgicum Počajov.* (1755) pag. 22; — *Lit. Počajov.* (1765), fol. 95; — *Lit. Počajov.* (1788), fol. 10.

In Canone expansio manuum praescribebatur sacerdotibus fere ad omnes secretas orationes, uti ad « *Dignum et justum est...* »,³⁶ « *Cum his et nos divinis virtutibus...* »,³⁷ « *Adhuc offerimus Tibi...* »,³⁸ « *Pro sancto Johanne Propheta...* »,³⁹ « *Adhuc rogamus Te...* ».⁴⁰ Expansiones manuum in Canone non solum in Missalibus typis editis, sed etiam in manuscrip-tis praescribebantur.⁴¹

Extra Canonem expansiones manuum praescribebantur: ad hymnum Cherubicum secreto a Sacerdote recitandum,⁴² ad orationem Dominicam,⁴³ ad orationem secretam ante « *Sancta Sanctis* »⁴⁴ et ad orationes ante Communione Sacerdotis.⁴⁵

b) *Genuflexiones*. H. Lisowskyj non indicat, quando sacerdotes abusive in Missa genuflexiones faciebant, neque expresse dicit, de quanam genuflexione hic agatur: utrum de genuflexione in uno genu an in duobus. Sed probabiliter genuflexionem in uno genu in mente habet.

In Missalibus ruthenis typis editis nullibi genuflexiones expresse praescribuntur. Ita v. gr. ad hymnum « *Unigenite Fili...* » in Missalibus ante verba: « *Et incarnatus est* » haec habetur rubrica: Sacerdos « se inclinat profunde dicens: « *Et incarnatus* ».⁴⁶ Similis rubrica invenitur etiam tempore recitationis Symboli Fidei ad eadem verba: « *Et incarnatus est* ».⁴⁷ Praescriptum « profundae inclinationis seu adorationis » in duabus memoratis locis exhibent etiam Missalia manuscripta saeculi XVII-XVIII.⁴⁸

Sed multi sacerdotes sub influxu latino praefatam rubricam « profundae adorationis » false interpretabantur et ad verba « *et incarnatus est* » genuflexiones in uno genu faciebant. Idem etiam faciebant in Canone Missae post consecrationem panis et calicis et iterum non ex praescripto rubricarum, sed ex falsa interpretatione « profundae adoratio-

³⁶ *Lit. Uniovicense* (1740), pag. 25; — *Lit. Počajov.* (1744), pag. 19. — *Lit. Počajov.* (1755), pag. 23; — *Lit. Počajov.* (1765), fol. 96; — *Lit. Počajov.* (1788), fol. 11.

³⁷ *Lit. Uniov.* (1740), pag. 27; — *Lit. Počajov.* (1744), pag. 21; — *Lit. Počajov.* (1755), pag. 25; — *Lit. Počajov.* (1765), fol. 96; — *Lit. Počajov.* (1788), fol. 12.

³⁸ *Lit. Uniov.* (1740), pag. 28; — *Lit. Počajov.* (1744), pag. 21; — *Lit. Počajov.* (1755), pag. 26; — *Lit. Počajov.* (1765), fol. 97; — *Lit. Počajov.* (1788), fol. 12.

³⁹ *Lit. Uniov.* (1740), pag. 29; — *Lit. Počajov.* (1744), pag. 22; — *Lit. Počajov.* (1755), pag. 27; — *Lit. Počajov.* (1765), fol. 98; — *Lit. Počajov.* (1788), fol. 13.

⁴⁰ N. ODINCOV, *op. cit.*, pag. 199.

⁴¹ *Lit. Uniov.* (1740), pag. 20; — *Lit. Počajov.* (1744), pag. 15; — *Lit. Počajov.* (1755), pag. 18; — *Lit. Počajov.* (1765, 1788) de expansione manuum silent.

⁴² *Lit. Uniov.* (1740), pag. 31; — *Lit. Počajov.* (1744), pag. 24; — *Lit. Počajov.* (1755), pag. 29. — *Lit. Počajov.* (1765), fol. 99; — *Lit. Počajov.* (1788), fol. 13v.

⁴³ *Lit. Uniov.* (1740), pag. 32; — *Lit. Počajov.* (1744), pag. 25; — *Lit. Počajov.* (1755), pag. 30; — *Lit. Počajov.* (1765), fol. 100; — *Lit. Počajov.* (1788), fol. 14.

⁴⁴ *Lit. Uniov.* (1740), pag. 33; — *Lit. Počajov.* (1744) et (1755) non habent; — *Lit. Počajov.* (1765), fol. 100; — *Lit. Počajov.* (1788), fol. 14v.

⁴⁵ Slavice: « *poklaniajetsia nizko hlaholušče: "voplotytsia"* ». — Cfr. *Lit. Uniov.* (1740), pag. 12; — *Lit. Počajov.* (1744), pag. 8; — *Lit. Počajov.* (1755), pag. 10; — *Lit. Počajov.* (1765), fol. 89v; — *Lit. Počajov.* (1788), fol. 5v.

⁴⁶ *Lit. Uniov.* (1740), pag. 23; — *Lit. Počajov.* (1744), pag. 18; — *Lit. Počajov.* (1755), pag. 21; — *Lit. Počajov.* (1765), fol. 95; — *Lit. Počajov.* (1788), fol. 10.

⁴⁷ N. ODINCOV, *op. cit.*, pag. 199.

nis ». Nam rubricae post consecrationem tum panis tum vini non genuflectere, sed « profunde adorare »⁴⁹ sacerdotem iubent.

Mos genuflexionem faciendi in locis Missae supra memoratis tempore H. Lisowskyj iam multum divulgatus esse debebat. Hoc probatur ex opere contemporaneo, cui titulus est: « *Theologia Moralis* ».⁵⁰ Ignatius auctor huius operis reprobat consuetudinem genuflexionis tempore Missae, quam, secundum illum, nonnisi coram speciebus consecratis et ad verba « *et incarnatus est* » usurpare licet.⁵¹ Insuper notandum est, quod in « *Ordine divinae liturgiae lectae* » genuflexio solum post consecrationem panis expresse praescribitur,⁵² ceteroquin « de profunda adoratione » mentio fit.⁵³

Hunc genuflexionis abusum Heraclius Lisowskyj in sua dioecesi severe interdixit et loco genuflexionis metaniam facere praecepit.⁵⁴

7. ABUSUS IN RITIBUS CONVERSIONIS AD POPULUM ET IN BENEDICTIONIBUS.

Ritualia praescribunt multas insulsas, et affectatas novas caeremonias uti conversionem Sacerdotis cum expansione manuum ad haec verba: « Nunc et semper et per omnia saecula saeculorum », loco antiqui moris convertendi se ad eundem populum cum benedictione manu dextera eidem populo impertienda sub haec verba: « Pax omnibus » item « Gratia Domini nostri Jesu Christi et charitas Dei et Patris, et communicatio Sancti Spiritus sit cum omnibus vobis », et his similia.

Duos abusus H. Lisowskyj hoc loco condemnat: additionis et omissionis.

Abusus additionis consistebat in hoc, quod sacerdotes ad exclamacionem: « *nunc et semper et per omnia saecula saeculorum* » ad populum

⁴⁹ Omnia Liturgica (etiam post Synodus Zamostiensem edita) post utramque consecrationem « profundum adorationem » praescribunt. (Cfr. *Lit. Počajov.* (1755): « Jerej že nizko poklaniajet-sia Presv. Tilu Christovu... Krovi Christovij », pag. 24-25.

⁵⁰ Hoc opus editum est primo sub Metr. Leone Kiszka anno 1722 Suprasliae sub titulo: « *Sobranje pripadkov kratkoje i duchovnym osobom potrebojno* » (« *Brevi collectio casum pro sacerdotibus...* »), Altera editio operis huius prodit sub titulo: « *Theologia Moralis* », Unioviae 1745, dein Počajoviae 1751 et Leopoli 1760.

⁵¹ « Etiam hoc scire debet (Sacerdos), ubi genuflectere debeat et ubi non. Sunt enim nonnulli hoc ignorantes et genuflectunt ubi non debeat. Etenim genuflexio tantum hic fieri debet, ubi sunt sancta Mysteria (« species consecratiae »), nam talis adoratio convenit soli Deo in sanctis Mysteriis praesenti; ubi autem non sunt sancta Mysteria, ibi genuflexio (« na jedno kolino poklon ») fieri non debeat, nisi tempore hymni « *Unigenite* » et « *Credo in unum Deum* » ad hoc vocabulum: « *Et incarnatus est* » (*Bohoslovija nravocitelnaja*), Lvov 1760, pag. 545.

⁵² Cfr. *Lit. Počajov.* (1755) in « *Ordine div. Liturg. lectue* »: « Sacerdos... profunde adorat sanctum Corpus Christi tenens ambas manus super altari, dextero vero genu paululum flectens... » (ad finem Missalis!). Quid faciendum sit post consecrationem calicis, ex « *Ordine* » erui non potest

⁵³ Ibid. ad hymnum « *Unigenite* » et in Symbolo Fidei dictis verbis « *et incarnatus est* » - « Sacerdos profunde adorat » (nizko poklaniajetsia).

⁵⁴ « Genua flectere item (Lisowskyj) interdixit, sed loco genuflexionis adorationem seu metaniam facere demandavit » (« *Responsa P. Justi Krupickyj OSBM ad articulos propositos* » — ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 149, fol. 533).

convertebantur et manus expandebant. Tales ad populum cum manuum expansione conversiones in decursu Missae bis in Missalibus post Synodum Zamostiensem editis praescribuntur, scilicet ad exclamationem, hymnum Trisagii immediate praecedentem,⁵⁵ et ad exclamationem ante orationem Magni Ingressus.⁵⁶

Abusus omissionis in hoc consistebat, quod sacerdotes ritum conversionis ad populum et benedictionis ad verba: «*Pax omnibus*» et «*Gratia Domini...*» omittebant. Uterque abusus probabiliter sub influxu latino introductus est, cum hac tamen differentia, quod expansiones manuum ante hymnum Trisagii et ante Cherubicum hymnum in Missalibus praescribebantur,⁵⁷ omissions vero conversionis ad populum et benedictionis ad verba: «*Pax omnibus*» et «*Gratia Domini...*» nullum fundamentum in rubricis habebant.⁵⁸

Huiusmodi deflexio ab antiquo Ritu condemnatur in decretis Synodi non-celebratae anni 1765.⁵⁹ H. Lisowskyj, teste Patre Justo Krupickyj, quoad conversiones ad populum in sua dioecesi antiquum morem Ritus Rutheni servare ordinavit.⁶⁰

Ex dissertatione Patris P. Wažynskyj constat, rationem, cur sacerdotes rutheni benedictiones populi ad verba: «*Pax omnibus*» et «*Gratia Domini...*» omittent, fuisse persuasionem, quod talis benedictio nonnisi in Missa pontificali usurpari poterat.⁶¹ Quidquid igitur de hac

⁵⁵ «Et (sacerdos) conversus ad populum et manus expandens dicit: «*nunc et semper*» — *Lit. Univ.* (1740), pag. 14; — *Lit. Počajov.* (1744), pag. 10; — *Lit. Počajov.* (1755), pag. 12; — *Lit. Počajov.* (1765), fol. 90; — *Lit. Počajov.* (1788), fol. 8.

⁵⁶ *Lit. Univ.* (1740), pag. 19; — *Lit. Počajov.* (1744), pag. 14; — *Lit. Počajov.* (1755), pag. 17; — *Lit. Počajov.* (1765), fol. 92v; — *Lit. Počajov.* (1788), fol. 8v; — NB. Rubricae conversionis ad populum cum manuum expansione ante hymnum Trisagii et ante Cherubicum hymnum prima vice in Missali Vilnensi (1692) a Metrop. Cypriano Žochowskyj edito introductae sunt. Missalia post Synodum Zamostiensem edita sequuntur in aliis praescriptis) rubricas Missalis Vilnensis.

⁵⁷ Cfr. praecedentes notas: N. 55 et N. 56.

⁵⁸ Missalia typis edita ad praedicta verba nihil praescribunt, sed in nonnullis manuscriptis saec. XVII-XVIII ad verba: «*Gratia Domini*» sequens habetur rubrica: «Exclamationem: «*Gratia Domini nostri*» pronuntiat sacerdos tenens ambas manus super sacram mensam. (Cfr. ODINCOV, op. cit., pag. 203).

⁵⁹ «Liturgiae iuxta Benedicti PP. XIV. Euchologium ubique celebrentur, quin celebrans ad populum se convertat extra proportionem rubricarum, quibus conversio talis significari ex praescripto debet» («*Dioecesis Polocensis... in Consultationibus ante-Synodalibus...*», ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 99, fol. 64).

⁶⁰ «Ordinavit (Lisowskyj), ut (sacerdotes) semper quoties dicunt: «*Pax omnibus*» ad populum convertantur, iam vero ad Trisagion et Hymnum Cherubicum sese convertendi usum antiquo more inhibuit». (*Responsa P. Justi Krupickyj*, ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 149, fol. 533).

⁶¹ «Jam quod innuere videtur Archiepiscopus Polocensis, ut Sacerdotes se potius convertant ad populum cum dicunt: «*Pax omnibus*», aut cum praecantur dicendo: «*Gratia Domini...*» dicimus id servari etiam ab Unitis Episcopis et Archimandritis pontificaliter celebrantibus et populum dum ita praecantur benedicentibus, non item a Sacerdotibus, qui apud Graecos solent quidem idem praestare, an tamen legitime tali consuetudine inducta et non abusive usurpata et ab Episcoporum usu translata judicare non audeo. Missalia enim non minus Graecorum quam Ruthenorum silent omnino, neque Sacerdotis actionem praescribunt sicuti neque Euchologium Romanæ correctionis et editionis» («*Observatio brevis...*», APF, Scritt. Rifer. Congr. Gener., t. 879, fol. 58rv).

ratione dicendum sit, certum est, quod hic abusus primo in Missa lecta introductus est et postea sub huius influxu etiam in Missa cantata.⁶²

8. ABUSUS IN FINE MISSAE.

«Alii Evangelium ad finem Missae iterato legunt».

Lectio ultimi Evangelii in Missa neque in Missalibus sive manuscriptis sive typis editis, neque in «Ordine celebrationis divinae liturgiae lectae» praescripta invenitur. Hic ergo abusus parum diffusus fuisse videtur et in ipsis Ecclesiae Ruthenae sinu severe vituperabatur. Ita v. gr. auctores «Narodoviščanije» seu «Missio popularis» hunc abusum carpunt simulque attestant, quod nonnulli sacerdotes ante lectio- nem Evangelii more latino signo crucis Evangelium, suam frontem, os et pectus signabant.⁶³

9. INNOVATIONES IN MISSIS PRO DEFUNCTIS.

Alii in Missa pro Defunctis «alleluja» et populi benedictionem in fine, contra omnia Euchologia Graeca, omittunt.

De omissione «Alleluja» nullum reperiri potuimus testimonium aut indicationem. Missalia omnia, ut iure H. Lisowskyj adnotat, cantum «Alleluja» conservaverunt. In documentis contemporaneis nulla omissionis «Alleluja» habetur mentio, ita ut iure concludi possit, hunc abusum non fuisse communem et generalem.

Quod vero ultimae benedictionis omissionem attinet aliquam saltem indirectam mentionem in «Instructione super ritibus christianis» habemus. Hic enim auctor symbolica finalis benedictionis significatione explicata monet, ultimam benedictionem a nullo ex proprio arbitrio omissi posse, etsi in Ritu Latino in Missa pro defunctis haec omissio locum habeat.⁶⁴

⁶² In «Ordine celebrationis div. liturgiae lectae» ante Canonem haec adest rubrica: «Et (sacerdos) non conversus ad populum dicit: «Gratia Domini nostri...» et in fine Canonis iterum: «postea exclamat: «Sit misericordia Domini...» non conversus ad populum». (Lit. Počajoviensia (1755).

⁶³ «Sunt nonnulli Sacerdotes Rutheni, qui dum sanctum Evangelium legere incipiunt, cruces pollice dextero faciunt super Evangelium (+), in fronte (+), in ore (+), et in pectore (+)... Post ultimam benedictionem in sinistra altaris parte apolysim faciunt, vel Evangelium aliquod legunt; idem ipsi nesciunt, quod Typicum sequantur. (Etsi) enim bonus est et pius hic usus seu caeremonia, tamen (est) Ecclesiae Occidentalis proprium» («Narodověščanije..., Počaev 1756, pagina 40). Hanc citationem desumimus ex A. CHOJNACKYJ, Zapadno-cerk. unija..., Kiev 1871, pagina 128-129.

⁶⁴ «Apud Romanos (scilicet Latinos!) in Missa pro defunctis etsi dabatur olim benedictio..., tamen mos ille iam diu obsolevit. Apud Orientales vero non licet ulli ex arbitrio hoc praetermittere, sed propriae Ecclesiae servari debet Ritus, cui aliquid demere aut quid novi addere severe est prohibitum» («Poučenije o obrjadach christijanskych», fol. 51v).

In fine notandum est, etiam plures alios abusus in celebratione Missarum irrepsisse, quos H. Lisowskyj explicite non memorat. Ipse enim enumeratis abusibus ita concludit: « Praeterea unusquisque (sacerdos) visa hac impuni licentia⁶⁵ aut addit quidpiam aut demit ».⁶⁶ De tali confusione et nimia licentia in caeremoniis Missae conqueritur tum in « *Praeparatoriis* » ad Synodum 1765,⁶⁷ tum in aliis documentis contemporaneis.⁶⁸

⁶⁵ Id est « licentia » typographorum seu editorum librorum liturgicorum, qui novas caeremonias introducunt.

⁶⁶ APF, *Scritt. Rifer. Congr. Gener.*, vol. 876, fol. 354. In Epistula ad J. Smogorzewskyj (8-II-1786) inter abusus recenset H. Lisowskyj « *translationem Missalis ex loco ad locum* », *omissionem translationis calicis* (post S. Communionem ad altare praeparationis), et *omissionem « pacificorum »* (id est ecteniae magnae, quae etiam « pacifica » dicitur). Cfr. ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 149, fol. 569.

⁶⁷ « In ipsis Missae sive cantatae sive recitatae celebratione vix non tot discrepantes inter se videntur caeremoniae, quot numerantur Sacerdotes eas celebrantes » (« *Praeparatoria ad Synodum 1765...* », PELESZ, *Geschichte der Union*, II, pag. 935).

⁶⁸ Cfr. « *Poučenije o obrjadach* »..., fol. 3v-4; et « *Narodověščanije* », pag. 40.

CAPUT IV.

De obiecto reformationis liturgicae: Abusus in Sacramentorum administratione, in Sacramentalibus et in Divino Officio (II).

1. *Sacramentum Baptismi.* - 2. *Sacramentum Poenitentiae.* - 3. *Sacramentum Extremae Unctionis.* - 4. *Sacramentum Ordinis.* - 5. *Sacramentalia.* - 6. *Officium Divinum.* - 7. *De abusibus, qui cum liturgia intime connectuntur.*

Elenchus abusuum Heraclii Lisowskyj in administratione Sacramentorum, in Sacramentalibus et in Divino Officio non est tam exactus et minutiosus quam in Missae celebratione. Ita v. gr. H. Lisowskyj silet omnino de Sacrementis Confirmationis Matrimoniique, quamquam eius tempore in horum Sacramentorum administratione innovationes non defuerunt.

Pro documentatione abusuum in hoc capitulo utimur praesertim Euchologis ruthenis post Synodum Zamostiensem typis editis¹ et manuscriptis. In documentis contemporaneis vix aliquid de Sacrementis et Sacramentalibus inveniri potuit. Sicuti in praecedenti capitulo ita in praesenti semper est distinguendum inter usus liturgicos in Euchologiis praescriptos et consuetudines contra vel praeter praescripta Euchologiorum sive communiter sive in aliquibus dumtaxat regionibus observatas.

1. SACRAMENTUM BAPTISMATIS.

Orationes Catechumenorum aliae expunctae, aliae foedae brevitatis studio truncatae. Solemnis benedictio aquae et olei in toto praetermissa, et seorsim dumtaxat breviusculae; una pro aqua, altera pro oleo benedicendo - orationes appositae, neque hae semper adhibentur, sed aqua per multos menses, oleum per annum et amplius semel his oratiunculis benedicta asservantur.

In Synodo Zamostiensi iubebantur antiquae caeremoniae in Sacramento baptismatis servari et novae, temere introductae abrogari. Eadem

¹ Huiusmodi sunt: «Euchologion si jest Trebnyk», Suprasliae 1736; «Euchologion si jest Trebnyk», Unioviae 1739 (non in originali, quod non habuimus, sed secundum fidelem reeditio- nem, factam 1844 Peremisliae) — «Molitvoslov ili Trebnyk», Počajoviae 1741. «Trebnyk ili Molitvoslov», Leopoli 1761.

Synodus hanc regulam etiam pro novo Rituali edendo valere voluit.² Ex statuto concludi potest, quod iam ante Synodum Zamostensem in huius Sacramenti administratione innovationes introductae fuerant, aut saltem eas introducere tentatum fuit.

Si autem Euchologia ruthena post praefatam Synodum edita inspicimus, animadvertisimus antiquum ordinem Baptismi in nonnullis punctis esse mutatum, ad quod Heraclius Lisowskyj alludit.

Imprimis vituperat Archiepiscopus Polocensis *expunctionem*, respective *abbreviationem orationum Catechumenorum*. Antiqua Ritualia tum graeca tum ruthena tres orationes Catechumenorum seu exorcismos habent.³ Ex his tribus exorcismis Euchologia ruthena retinuerunt solummodo primum, qui incipit: «*Interdic tibi Dominus, diabole...*»⁴; duo alii suppresserantur.⁵

Abbreviations, ab H. Lisowskyj memoratae, dantur in exorcismo: «*Interdicit tibi Dominus, diabole*», sed consistunt tantummodo in omissione quarundam expressionum minoris momenti, ita ut textus orationis substantialiter immutatus remansit. Quae vero omissionses non conscienti studio «foedae brevitatis» vel consultae «truncationis», ut H. Lisowskyj insinuat, attribuendae sunt, sed potius ex diversis lectionibus huius exorcismi in antiquis codicibus manuscriptis originem ducunt.⁶

Praeter omissionses et abbreviations in orationibus Cathechumenorum H. Lisowskyj indicat *alium abusum, scilicet omissionem vel transpositionem solemnis aquae et olei benedictionis*. Benedictio aquae secundum genuina Euchologia Ritus Byzantini valde prolixa et solemnis est. Constat enim magna ectenia et tribus prolixis orationibus cum exorcismis et consignationibus.⁷ Quibus ex omnibus Ritualia ruthena retinuerunt unam orationem solam: «*Domine Deus omnipotens*»,⁸ caetera vero omnia sunt omissa. In olei vero benedictione remansit eadem sola oratio quam habent etiam Euchologia graeca, scilicet oratio: «*Dominator Deus Domine patrum nostrorum*».⁹

Transpositio benedictionis aquae et olei Catechumenorum habetur solummodo in Euchologio Supraslensi, in quo utraque benedictionis oratio non in ipso Baptismi Ordine ponuntur, sed extra hunc Ordinem,

² «Caeremoniae in eiusdem Sacramenti (Baptismi) administratione nullae adhibeantur, praeter eas, quae a majoribus nostris institutae, nobisque traditae, in Orientali Ecclesia servatae fuerunt, ac in novo Rituali edendo exprimentur, - reliquas temere introductas, et in Ritualibus quibusdam forsitan scriptas, aut impressas praesens Synodus reiciendas omnino esse decernit» (Tit. III, par. I, SPRZ, pag. 63).

³ Cfr. Σδηολόγιον τὸ Μέγα, Romae 1874, pag. 147-149.

⁴ *Euchol. Suprasl.* (1736), pag. 17-18; — *Euch. Uniov.* (1739), fol. 10-11. *Euchol. Počajov.* (1741), fol. 7rv.

⁵ Attamen *Euchol. Leopoliense* (1761) conservavit omnes tres exorcismos, cfr. pag. 7-10.

⁶ Variae lectiones dabantur fere in omnibus Ordinibus Sacramentorum. Fusius de hoc tractat ODINCOV N., *op. cit.*, pag. 244-249.

⁷ Cfr. Σδηολόγιον τὸ Μέγα, pag. 152-156.

⁸ *Euchol. Suprasl.* (1736), pag. 10-11; — *Euch. Uniov.* (1739), fol. 13rv. *Euch. Počajov.* (1741), fol. 10rv. *Euch. Leopoliense* (1761) retinuit completum ordinem benedictionis aquae cum omnibus orationibus, cfr. pag. 12-18.

⁹ *Euchol. Suprasl.* (1736), pag. 12-13; — *Euchol. Uniov.* (1739), fol. 13v-14; — *Euchol. Počajov.* (1741), fol. 11rv.

nempe inter orationes post nativitatem puerorum dicendas.¹⁰ Cetera vero Euchologia benedictionem aquae et olei loco debito exhibent.¹¹

Attamen neque haec benedictio aquae « truncata » semper adhibebatur, sed aqua semel benedicta multos per menses asservabatur. Benedictio autem olei Catechumenorum, ut H. Lisowskyj attestat, semel in anno fiebat et oleum sic benedictum per totum annum adhibebatur. Haec praxis sine dubio originem dicit ab imitatione Ritualis latini, in quo oleum Catechumenorum semel in anno in Caena Domini ab Episcopo benedicitur et pro toto anno ad unctionem baptisandorum adhibetur. Similis influxus Ritualis latini apparebat etiam in praxi aquam baptismalem asservandi. Huiusmodi accommodatio ad proxim Ritus Latini habetur iam in Euchologiis manuscriptis saec. XVII-XVIII.¹²

H. Lisowskyj silet omnino de modificationibus et innovationibus in ipso modo baptisandi (sc. de Baptismo per infusionem et non per immersionem), et de omissione triplicis « Amen » in forma baptismi.

2. SACRAMENTUM POENITENTIAE.

In Sacramento Poenitentiae expunctae sunt orationes admodum piae et ad conterendum cor poenitentis peraccomodae, quae absolutioni praemitti solent.

Patres Synodi Zamostiensis tractando de Sacramento Poenitentiae declaraverunt, formam illius consistere in verbis: « *Ego te abservo ab omnibus peccatis tuis* », ceteras vero orationes absolutionis formulam tum antecedentes tum consequentes retinendas esse voluerunt.¹³ Attamen in plurimis Euchologiorum post Synodus Zamostensem editionibus hoc statutum observatum non fuit. Ex ordine Sacramenti Poenitentiae, quem tum graeca tum slavica Euchologia ante saeculum XVIII exhibebant, et quod varijs orationibus et tropariis constabat, in Euchologis ruthenis practice nonnisi absolutionis formula remansit. Suppressae sunt igitur omnes orationes confessionem peccatorum praecedentes, introducita tamen sunt varia monita characteris theologico-practici pro sacerdote.¹⁴

Abbreviationes in Ordine Poenitentiae carpit H. Lisowskyj praesertim propterea, quod hoc modo orationes « admodum piae et ad conterendum cor poenitentis peraccomodae » suppressae sunt. Nescimus, quo motivo ducerent editores Ritualium ruthenorū in expungendis hisce orationibus ex Ordine Poenitentiae. Certe, quod praeter desiderium

¹⁰ Cfr. *Euchol. Suprasl.* (1736), pag. 10-13.

¹¹ Sic v. gr. *Euchol. Uniov.* (1739), fol. 13-14; — *Euchol. Počajov.* (1741), fol. 10-11v.

¹² ODINCOV N., *op. cit.*, pag. 245-246.

¹³ Forma Sacramenti Poenitentiae est « in iis tantum verbis, quibus Sacerdos quasi Index supra Poenitentem constitutus utitur, scilicet: « *Ego abservo te ab omnibus peccatis tuis...* » *Ceteras vero praees, quae vel praemittuntur, vel subsequuntur, laudabiles esse, ac retinendas, ad ipsius tam formae essentiam nequaquam spectare, neque ad ipsius Sacramenti administrationem necessarias esse* », SPRZ, Tit. III, § V, *De poenit.*, pag. 75.

¹⁴ Cfr. *Euchologium Suprasl.* (1736), pag. 41-48; — *Euchol. Uniovicense* (1739), fol. 29v-32; — *Euchol. Počajov.* (1741), fol. 28-31.

maioris accomodationis ad Ritum Latinum¹⁵ aderat etiam studium ad tollendam nimiam prolixitatem, quae in antiquo ordine sentiebatur. Attamen non est negandum, abbreviationem Sacramenti Poenitentiae in Euchologiis ruthenis infeliciter peractam esse.¹⁶

Si ab Euchologiis typis editis transimus nunc ad Euchologia manucripta, easdem animadvertemus tendentias, scilicet studium abbreviationis et imitationis Ritus Latini,¹⁷ quod certe causam suam habuit in prolixitate et magna varietate, quae est characteristica ordinis Poenitentiae iam in antiquissimis eiusdem manuscriptis.¹⁸

3. SACRAMENTUM EXTREMAE UNCTIONIS.

Sacramentum Extremae Unctionis, quod apud Graecos in praesentia aegroti ritu solemni, ubi omnes hymni et praeces, sicuti et ipsa forma ad aegrotum praesentem diriguntur, cum crebra horum verborum repetitione: « Sana, Domine, istum servum tuum... » non peragitur, apud nos autem per Lithuania et Albam Russiam Presbyteri in Coena Domini his ipsis orationibus etsi mutatis, et aegroti, quamvis nullus adest, allocutionibus conficiunt, in quo pertemere actum ordinis Episcopi latini imitari praesumunt, et orationibus non ad solam benedictionem olei, sed potiori ex parte ad impetrandam aegroto corporis et animae salutem ordinatis praepostere abutuntur.

Fortasse nullum Sacramentum tam profundam alterationem subiit in Euchologiis ruthenis quam Ordo Extrêmeae Unctionis. Causam, saltem remotam, huius alterationis ipsa Synodus Zamostiensis dedit. In illa enim Synodo iussus est novus Ordo abbreviatus Extrêmeae Unctionis componi, ut antiquo Ordini nimis longo et prolixo in casibus urgentibus commode substitui posset.¹⁹

Paucis iam annis post Synodum Zamostensem in Euchologiis ruthe-

¹⁵ Hoc desiderium manifestatur praesertim in *Euchologio Supraslensi* (1736). CHOJNACKIJ vituperat Euchologia ruthena et praesertim *Euchologium Suprasliense*, quia in Ordine Sacramenti Poenitentiae « serviliter Ritualia latina sequuntur » (*Zapadno-erk. Unija...*, pag. 252).

¹⁶ Unicam exceptionem praebet nobis *Euchologium Leopoliense* (1761), quod in Sacramento Poenitentiae antiquum ordinem secundum recensionem *Euchologii Petri Mohyla* (1646) conservavit.

¹⁷ Cfr. ODINOV, *op. cit.*, pag. 282-283.

¹⁸ Cfr. A. DMITRIEVSKIJ, *Bogosluženije v russkoj cerkvi v XVI věkѣ*, Kazan 1884, pag. 322-323, De evolutione historico-rituali Ordinis Sacramenti Poenitentiae consulenda est optima dissertatione A. ALMAZOV, *Tajnaja ispověd v Pravoslavnoj Cerkvi*, Odessa 1894, et articulus C. KOROLEVSKIJ, *L'administration du sacrement de pénitence dans le rit byzantin*, (Stoudion, t. II (1925), pag. 36-45, 97-110, 129-136).

¹⁹ « Cum Caeremoniae Extrêmeae Unctionis in Ecclesia Graeca longissimae sint, praesertim si plures Sacerdotes adhibeantur: caeremoniae vero, ac Sacri Ritus propter Sacraenta, non Sacramenta propter Ritus et Caeremonias instituta sint; ne Fideles constituti in articulo mortis, hoc adeo salutifero Sacramento ex defectu temporis priventur: statuit, ut tum unus dumtaxat Sacerdos illud ministret, ac praeterea iubet describi novum Ritum, in quo longiores Orationes, Evangelia, Epistulae omniantur, quae tamen in eorum dumtaxat unctione adhibeantur, quos in extremis non laborare compertum fuerit » (SPRZ, Tit. III, § IV, *De extrema Unctione*, pag. 79-80).

nis duo Ordines Extremae Unctionis exhibentur, scilicet et antiquus pro septem sacerdotibus cum omnibus orationibus, Apostolis et Evangelii²⁰ et nuper compositus brevior pro uno sacerdote cum paucis tropariis, uno Apostolo et Evangelio et una Unctionis formula²¹ necnon cum nonnullis rubricis et textibus ex Rituali latino mutuatis.²² Hic ultimus Ordo Extremae Unctionis practice solus adhibebatur iam inde a saeculo XVIII usque ad tempora recentissima, dum antiquus Ordo ex communi usu cessavit.

Miro modo H. Lisowskyj de novo breviori Ordine nullam facit mentionem, sed solum antiquum Ordinem amplius non servari, vel solum inepte ad benedictionem olei in Coena Domini adhiberi attestat. Hunc abusum H. Lisowskyj peculiari modo carpit tamquam ineptam prae-sumptionem ordinis benedictionis olei infirmorum, qui apud Latinos in Coena Domini ab Episcopo solo peragitur. Imitatio Ritualis latini Archiepiscopo Polocensi propterea ridicula et inepta appareat, quod orationes Ordinis Extremae Nunctionis non ad benedicendum oleum, sed ad prae-sentem infirmum referuntur, qui nullus in Coena Domini adesse supponitur.

Teste H. Lisowskyj benedictio olei pro Extrema Unctione in Coena Domini potissimum in Lithuania et Alba Russia diffusa erat. Hic usus receptus est in Euchologio Supraslensi cum expressa mentione Coenae Domini,²³ in aliis vero Euchologiis, etsi nomen « consecrationis olei » retinetur, tamen in rubricis nihil de Coena Domini dicitur.²⁴ Origo huius abusus in monasteriis quaerenda est, ubi maior copia sacerdotum ad solemnam olei infirmorum benedictionem habebatur. Comprobationem huius nostrae opinionis invenimus in brevi relatione alicuius anonymi auctoris deabusibus liturgicis ruthenis, quae medium saeculum XVIII respicit.²⁵ Anonymus auctor condemnat inter alia « pessimum abusum, qui in quibusdam Monasteriis invaluit, benedicendi scilicet olium pro Extremae Unctionis Sacramento die Jovis Sancto taliterque benedic-tum applicandum deinde pro occurrentibus necessitatibus ».²⁶ Idem auc-

²⁰ *Eucholog. Suprasl.* (1736), pag. 113-154; *Eucholog. Unioviense* (1739), fol. 52v-72; *Eucholog. Počajov.* (1741), fol. 53-77v; Hic Ordo vocatur: « *Ordo consecrationis Olei* ».

²¹ *Eucholog. Suprasl.* (1736), pag. 91-103; *Eucholog. Unioviense* (1739), fol. 72-74; *Eucholog. Počajov.* (1741), fol. 77v-80v; etiam *Eucholog. Leopoliense* (1761) habet hunc ordinem (paginae 161-163). In Euchologiis nominatur hic novus Ordo « *Ordo, quomodo debet administrari Unctio Olei infirmo in gravi morbo versanti et in extremis constituto* », vel vulgo « *Ordo unctionis Olei* ».

²² V. gr. aspersio domus cum aqua benedicta, et cum recitatione versiculorum: « *Asperge me issopo...* »

²³ *Eucholog. Suprasl.* (1736), pag. 113. In rubrica introductiva haec legimus: « *Si septem Sacerdotes haberi nequeunt, poterit unusquisque Parochus in sua Ecclesia solus consecrare (oleum), sed tantummodo in Coena Domini, non vero alio quodam die; sanctum enim hoc oleum consecratum debet omni Parocco per totum annum et ad Fideles infirmos unguendos adhiberi, in Coena vero Domini vetus (oleum) comburi et novum consecrari decet* » (*ibid.*, pag. 113).

²⁴ Cfr. *Eucholog. Unioviense* (1739), fol. 52v; *Eucholog. Počajov.* (1741), fol. 53.

²⁵ Titulus huius relationis est: « *Abusus, qui invaluerunt in Russia corrigendi iuxta Decreta Synodi Zamoscianae* » (ex anno 1773), ASV, ARCH. NUNZ. DI VIENNA, t. 75, fol. 85-89v.

²⁶ ASV, ARCH. NUNZ. DI VIENNA, t. 75, fol. 85.

tor in memoriam revocat, quod talis abusus aperte contra statutum Synodi Zamostiensis introductus esset, nam in illa Synodo conservatio olei Extremae Unctionis prohibebatur.²⁷

Benedictio olei Extremae Unctionis in Coena Domini et conservatio illius per totum annum in Ruthena Ecclesia iam saeculo XVII ante Synodum Zamostiensem invaluit et primo in Euchologiis manuscriptis,²⁸ ex quibus postea in Euchologiis typis editis receptus est.²⁹

4. SACRAMENTUM ORDINIS.

In collatione ordinum Majorum Diaconatus et Presbyteratus imo et Episcopatus non solum omnia cum Ritu Latino permixta, et confusa cernuntur, verum etiam et binae formae una ex Rituarii Graeco circa impositionem manuum, altera circa traditionem instrumentorum ex Latinis desumpta adhibetur.

Sicuti in aliis Sacramentis, ita in Sacramento Ordinis H. Lisowskyj imitationem Ritualis latini omnino condemnat. Ex hoc enim confusio et « commixtio caeremoniarum » exorta est. Hoc modo, praeter formam Sacramenti ex Rituali graeco, quae in impositione manuum consistit, accessit altera forma ex Rituali latino, seu traditio instrumentorum.

Haec traditio instrumentorum cum respectivis formulis introducta est in Pontificalia ruthena saeculi XVIII probabiliter sub influxu doctrinae theologicae, quae traditionem instrumentorum in collatione Ordinum pro forma essentiali considerabat. Sed in ipsa Synodo Zamostensi, etsi de impositione manuum et de forma in collatione Ordinum maiorum sermo fiat, traditio instrumentorum nullibi memoratur. Synodus econtra in administratione huius Sacramenti antiqua Euchologia inviolabiliter servari et nullam rem innovari voluit.³⁰ Sed sicut in aliis Sacramen-

²⁷ Synodus Zamostiensis in titulo de Extrema Unctione praescripsit, « ut quidquid Saeri olei post unctionem Infirmi superfuerit, comburi debeat, neque ad alios usus adhiberi, aut pro altero infirmo asservari » (SPRZ, Tit. III, par. VI, *De Extrema Unctione*, pag. 78). In ipso *Euchologio Supraslensi* (1736), in quo, ut supra relatum est, ritus benedictionis Olei in Coena Domini praecipitur, in prima pagina adnotatio habetur, quae ex parte corrigit abusum benedictionis Olei in Coena Domini: « Vide sacerdos: etiamsi in pag. 113 demandatum est, ut Oleum illud, quod in Coena Domini consecratur, conservaretur per totum annum, hoc tamen contradicit Synodi Zamostiensis et antiquis Ecclesiae Orientalis ritibus, quae post unctionem reliquum olei comburere et non conservare iubet. Sciat proinde Parochus, qui Unctionem Olei administrat, quod pro unoquoque infirmo Mysterium Olei consecrandum est et post administrationem huius Sacramenti reliquum (olei) comburendum est, sicuti de hoc fusius Synodus Zamostiensis statuit ». (*Euch. Supr.* (1736), pagina titularis *inversa*).

²⁸ Cfr. ODINCOV, *op. cit.*, pag. 350-351. Attamen in paucis tantum manuscriptis saeculi XVII-XVIII adnotatio inventitur, consecrationem olei pro infirmis in Coena Domini fieri debere.

²⁹ ODINCOV, *op. cit.*, pag. 351. De benedictione olei infirmorum in Coena Domini ab Episcopis ruthenis usurpata testimonium habetur in « *Lithos* » PETRI MOHYLA (cfr. *Archiv Jugo-Zapadnoj Rossiji*, pars I, t. IX, pag. 193).

³⁰ « Placuit Sanctae Synodo, ut illa, quae recens per Petrum Mohyla Metropolitam in Russia schismaticum, contra Euchologia antiquissima, et contra normam etiamnum in Graecia usitatam innecta fuit, e medio tollatur, eaque in novo Rituali qua antiqui Graeci usi sunt, restituatur. Cum vero in collatione Diaconatus est Presbyteratus sequens forma in Ecclesia Orientali a primaeva Fidei Catholicae institutione viguerit: « *Divina gratia...* » placuit Sanctae Synodo, ut haec inviolabiliter servetur ». (SPRZ, Tit. III, par. VII, *De Sacris Ordinationibus*, pag. 81).

tis ita etiam in sacramento Ordinis contra voluntatem Synodi Zamostiensis influxus Ritualis latini sese manifestavit. Traditio instrumentorum apparet prima vice in Pontificalibus manuscriptis saeculi XVII-XVIII, quae postea magna ex parte in Pontificalibus typis editis reproducta sunt.³¹

Praeter traditionem instrumentorum H. Lisowskyj alium abusum in administratione Sacramenti Ordinis recenset. In epistula, die 27 Junii 1787 ad Nuntium Varsaviensem F. Saluzzo scripta, denuntiat alium «notabilem abusum in nostra Unita Ecclesia sub tempus Ordinationis presbyteri noviter irreptum, ubi Episcopus duodecim et aliquando plures simul ordinando imponit una capiti eorum manus; quarum vix digito unumquemque tangit, proferendo simul super omnes formulam: «*Divina gratia, quae semper infirma sanat, et quae desunt, supplet, promovet filium Titum, Cassium ect. venerabilem Diaconum in Presbyterum. Oremus igitur pro eis, ut descendat super illos gratia Spiritus Sancti*».³²

De hoc abusu H. Lisowskyj iudicium ita profert: «Plane ego hic non despicio, quomodo in tanto Sacramento privato ausu fas sibi putent nostri tum materiae tum formae immutationem facere, ut per se liqueat, neque enim vera est manuum ordinando impositio, qui vix digito tangitur, nec forma, quae vel ex ipsis verbis et praxi Ecclesiae pro uno destinata, dum super plures profertur, genuinum retinet sensum, quemadmodum si super plures baptisandos simul quis dicat: «*Baptisatur servus Dei Petrus, Andreas... etc.*», nonne contra communem morem Ecclesiae faceret. Praeterea in praesenti etiam verba circa finem formae immutantur, ubi loco: «*Oremus PRO EO, ut dicsendat SUPER ILLUM gratia Spiritus Sancti*» nostri dicere solent, et in novis Ritualibus nostris³³ ita exstat: «*Oremus PRO EIS ut descendat SUPER ILLOS gratia Spiritus Sancti*». At demus valere ordinationem, quod non inficior, illicitam tamen esse omnino ajo tum quod inconsulta S. Sede id facere praesumant, tum quod non-Unitis praesertim in locis, ubi Uniti et non-Uniti permixtum degunt, occasionem scandali atque sic ansam Sanctae Unionis aver sandae praebant, criminacionesque et odia eorum in se ultro concident».³⁴

De abusu, quem H. Lisowskyj hic refert, notitias in documentis contemporaneis reperire non potuimus.

³¹ Cfr. ODINCOV, *op. cit.*, pag. 285-286.

³² ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 149, fol. 618v.

³³ Pro dolor nos nullum Pontificale ruthenum p[re]ae manibus habere potuimus, ad quae hic H. Lisowskyj alludit. Probabiliter habet H. Lisowskyj in mente Pontificale anno 1716 Suprasliae vel 1740 Unioviae editum.

³⁴ ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 149, fol. 618v-619.

5. SACRAMENTALIA.

In aliis extra collationem Sacramentorum in utraque Ecclesia adhiberi solitis orationibus, officiis, benedictionibus etc... alias Sacramentalia vocatis, quos tum Latina tum Graeca Ritualia exhibent, proprio Ritu accomodatas, quales in novis his nostris Ritualibus ineptissime consarcinati ex utroque Ritu centones conspiciendi, in quovis pene folio ultro se offerunt, si omnes singulatim recensere vellem, librum non Epistolam scriberem.

In recensendis abusibus in administratione Sacramentalium H. Lisowskyj valde generaliter et obiter procedit. Nullos abusus in particulari indicat, sed solum lamentat, quod in ruthenis Euchologiis passim orationes et benedictiones ex Rituali latino transsumptae reperirentur et quidem « in quovis pene folio ».

Etsi H. Lisowskyj hoc in loco exagerat, tamen non est negandum Euchologia ruthena plures orationes et benedictiones continere, quae nonnumquam fere ad verbum ex latino Rituali receptae sunt. Elenchus harum benedictionum longus esset. Inter Euchologia ruthena praesertim Euchologium Suprasliense (1736) variis abundat benedictionibus et orationibus, magna ex parte serviliter ex latino Rituali traductis.³⁵

Huiusmodi sunt v. gr. « Benedictio cineris in principio Quadragesimae »,³⁶ « Benedictio seminum et segetum in Festo Beatae Virginis Mariae »,³⁷ « Benedictio panis et vini pro infirmis »,³⁸ « Benedictio panis et aquae in Festo S. Agathae contra ignis periculum »,³⁹ « Benedictio vestis, id est Scapularis Confraternitatis Beatae M. Virginis »,⁴⁰ « Benedictio Coronarum vel Rosariorum »,⁴¹ Benedictio avenae in Festo S. Stephani »,⁴² « Benedictio vini in Festo Assumptionis Beatae Virginis Mariae »,⁴³ « Benedictio auri, myrrae et thuris in Festo Epiphaniae »,⁴⁴ « Benedictio lilarum in Festo S. Antonii Paduani »,⁴⁵ « Benedictio candelarum in Festo Hypapante Domini »,⁴⁶ « Benedictio candelarum in Festo S. Blasii ad sanandos dolores gutturus »⁴⁷ et alia huiusmodi bene multa.

³⁵ De his fusius tractat A. CHOJNACKIJ, *op. cit.*, pag. 289-291.

³⁶ *Eucholog. Suprasl.* (1736), pag. 321-326.

³⁷ *Eucholog. Suprasl.* (1736), pag. 444-447; *Eucholog. Unioviense* (1739), fol. 234-235.

³⁸ *Eucholog. Suprasl.* (1736), pag. 327-332.

³⁹ *IBID.*, pag. 460-466.

⁴⁰ *IBID.*, pag. 567-569.

⁴¹ *IBID.*, pag. 571-573.

⁴² *IBID.*, pag. 574; *Eucholog. Uniov.* (1739), fol. 275-276.

⁴³ *Eucholog. Supr.* (1736), pag. 520-525; *Euch. Uniov.* (1739), fol. 260-263.

⁴⁴ *Eucholog. Suprasl.* (1736), pag. 575-576.

⁴⁵ *Eucholog. Suprasl.* (1736), pag. 530-533.

⁴⁶ *IBID.*, pag. 577-582; *Eucholog. Uniov.* (1739), fol. 277-279.

⁴⁷ *Eucholog. Suprasl.* (1736), pag. 583-584; *Eucholog. Uniov.* (1739), fol. 279-280.

6. OFFICIUM DIVINUM.

Quod officium Divinum attinet, H. Lisowskyj deplorat - *neglectas in festis celebrioribus vigiliis, quae apud Graecos in maxima reverentia habentur, imo et matutina officia ex more Graeco semper in Ecclesia celebrari solita, apud nos vero privatim ex breviario de communi, etiam Dominicis et solemnioribus festis pro consueto recitantur.*

Imprimis nobis tractandum est de Officio Vigiliarum, quod in Ritu Byzantino occasione maiorum Festorum celebrari solet. Ex testimonio Archiepiscopi Polocensis patet Vigiliis in Ecclesia Ruthena saeculo XVIII valde neglectas fuisse. Hoc testimonium comprobant varia alia documenta contemporanea.

In decretis praeparatoriis ad Synodum anni 1765 valde insistitur, ut intermissum Officium Vigiliarum restitueretur, quia ex huiusmodi omissione Schismatici graviter scandalizantur.⁴⁸ Omissio Vigiliarum non solum in ecclesiis parochialibus, sed etiam in monasteriis locum habebat. Pro restituendis Vigiliis apud monachos speciale meritum debetur Capitulo Generali Basiliatorum anno 1780 Torocaniis congregato,⁴⁹ necnon peculiari sollicitudini Patris P. Wažynskyj. Hic anno 1785 qua Provincialis Basiliatorum Provinciae Lithuaniae epistulam circularem ad monachos suae provinciae divulgavit, in qua contra intermissionem Vigiliarum in monasteriis insurgit. Pro causa huius intermissionis denotat « negligentiam » et « somnolentiam » monachorum necnon « nimiam indulgentiam » ex parte Superiorum. P. Wžynskyj suos monachos ad antiquam observantiam redire iussit simulque elenchem Festorum composuit, occasione quorum in omnibus monasteriis Vigiliae necessario persolvendae erant.⁵⁰

⁴⁸ « Vigiliae consuetae cum nocturnis praecibus, ubi cum gravi Schysmaticorum scando- et Sanctae Unionis damno sunt intermissae, Festis saltem solemnioribus Salvatoris et Deiparae omnino restituantur sub poena quinque marcarum pro singulis omissionibus luenda » (ASV, ARCH. NUNZ. VARS, t. 99, fol. 37v, — Art. 5, § 5, — « Vigiliae nocturnae maximo scando sunt intermissae, quibus restituendis adiciatur mandatum, ne absque sufficienti lumine peragatur » (IBIDEM, fol. 64, — *Dioecesis Polocensis ad praepar. Synodus* a. 1765).

⁴⁹ « Vigiliae Ecclesiasticae, quae solemnioribus Festis haberri solent, fiant pro consuetudine locorum, nulla excusatione admissa: nec unquam intermittantur Festis: Natalis Domini, Theophaniae, Annuntiationis, Feria Magni Canonis, Dominicæ Palmarum, Feria Parasceves, gloriissimo Festo Paschatis ac Pentecostes », (AVAK, t. XVI, pag. 554).

⁵⁰ « Decet itaque collapsam talem disciplinam restaurare atque maioris gratia cultus Divini somnolentiam ac negligentiam castigare, ut vigilantiores simus in laudibus Divinis nocturnis quae olim longe frequentiores erant, debita attentione persolvendis... » — et citato decreto Capituli Generalis Torocanensis (1780), quod supra retulimus, P. Wažynskyj sic prosequitur:... « Ubi Monasteria nostra iis in regionibus erecta habemus, in quibus frequens populus est, qui Graecum ritum profitetur, tum vero illa praecipue, quibus cura animarum parochialis est, multo frequentius vigilias eiusmodi instituere tenentur. Maxime autem principalioribus Salvatoris ac Deiparae Virginis gloriissimae festivitatibus, praeter iam enuntiatas in praecitata constitutione, videlicet: Festo Circumcisionis Domini Nostri Jesu Christi simulque S. Patris Nostri Basilii M., Occursus Domini sive Hypapantes et Transfigurationis Dominicæ, item Nativitatis ac Dormitionis B. Virginis Mariae, et sicuti titulus Ecclesiae est, Protectionis Sanctissimæ Virginis Mariae, sicuti SS. Apostolorum Petri ac Pauli, tum etiam aliorum Sanctorum eiusmodi officia vespertina solemniora sive Agripiniae absque culpa et desidiae ac negligentiae nota omitti non debent », (AVAK, t. XVI, pag. 554).

Praeter omissionem Vigiliarum H. Lisowskyj alium adhuc abusum in recitandis Divinis Officiis carpit, scilicet consuetudinem recitandi Officium Matutini non ex « proprio », sed ex « communi » Sanctorum. Uti notum est, in Ritu Byzantino ad recitanda Officia Divina praeter partem « ordinariam » seu « communem », quae in Horologio sive Breviario continetur, adhiberi debent alii libri liturgici, ut Octoëchos, Triodion, Pentecostarion, Meneae, in quibus hymni, canones, lectiones et orationes de « proprio » Festorum sive temporis habentur. Abusus ab H. Lisowskyj indicatus consistebat igitur in hoc, quod Officia Divina etiam diebus Dominicis et solemnioribus Festis privatim ex breviario « de communi » recitabantur praetermissis omnibus illis partibus, quae ex praescripto Typici ex respectivis libris « de proprio » temporis et Festorum desumi debebant.

H. Lisowskyj accuratius non indicat, ubi et qua de causa haec consuetudo irrepsit. Etiam ex documentis contemporaneis non multum de hac re edocti sumus. Causam supra memorati abusus putamus fuisse magnam penurie librorum liturgicorum, praesertim in regionibus Lithuaniae et Albae Russiae.⁵¹ Si hanc circumstantiam prae oculis habemus, abusus non solum melius explicari, sed etiam quodammodo excusari potest.

7. DE ABUSIBUS, QUI CUM LITURGIA INTIME CONNECTUNTUR.

Ut finem ponamus recensioni abusuum ab H. Lisowskyj in liturgia ruthena indicatorum, breviter memoranda sunt nonnullae deviationes ab antiquo Ritu in rebus, quae cum cultu Divino intime cohaerent.

Huc pertinet imprimis notabilis mutatio tam in interna quam in externa ecclesiarum constitutione et dispositione. Archiepiscopus Polocensis hac in re reprobat « *sublatam in Basilicis nostris intus et extra formam Ecclesiae Graecae, uti Bema, altare circumvagabile ara major nuncupatum etc...* »⁵²

Constructio ecclesiarum Ritus Rutheni praesertim saeculo XVIII influxum occidentalem subiit. Hoc refertur non solum ad ecclesias Unitorum, sed etiam Non-Unitorum. Saeculo XVIII in Occidente florebat « stilus » sic dictus « barocco », cuius influxui etiam constructio et exornatio templorum in Ukraina, Lithuania et Alba-Russia succubuit. Multae ecclesiae apud Ucrainos tam Unidos quam non-Unitos saeculo XVIII aedificatae, non exiguum similitudinem cum ecclesiis latinis huius temporis praeseferunt.⁵³

Haec similitudo non limitabatur tantummodo ad externum modum

⁵¹ De hac penurie loquitur auctor « *Observationum in Missam Polocensem* » (cfr. ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 149, fol. 527), cuius testimonium iam supra retulimus, cfr. pag. 67.

⁵² APF, *Scritt. Rif. Congr. Gener.*, (1787), vol. 876, fol. 355.

⁵³ De influxu occidentali in artem construendi ecclesias apud Ucrainos consulenda sunt opera: D. ANTONOWITSCH, *Deutsche Einflüsse auf die Ukrainische Kunst*, Leipzig 1942; W. R. ZALOZIECKY, *Die Barockarchitektur Osteuropas mit besonderer Berücksichtigung der Ukraine* (Abhandlungen des Ukrainischen Wissenschaftl. Institutes in Berlin, B. II, (Berlin-Leipzig 1929), pagina 65-116.

construendi, sed etiam in interna ecclesiarum dispositione manifestatur. Sic iconostases saepe iam non extruebantur, altare magnum ad parietem apponebatur, et mos invaluit plura altaria lateralia construendi.

Attamen eodem saeculo XVIII contra alterationes in modo construendi ecclesias ruthenas quendam reactionem notamus, cuius optimum testimonium in decretis praeparatoriis ad Synodum anni 1765 conservatum est. Hic omnes deviationes ab antiquo construendorum templorum more reprobantur et exiguntur, ut in posterum tam ecclesiae quam oratoria publica secundum antiquam Orientalis Ecclesiae consuetudinem construerentur.⁵⁴

Praeter alterationem in construendis ecclesiis vituperat Archiepiscopus Polocensis etiam *introductionem Organorum et Musicae in ecclesiis ruthenis necnon usum Rosariorum*: « *In multis item locis introducta sunt organa, Musica, Rosaria etc...* »⁵⁵

De introductione musicae in ecclesiis ruthenis idem est dicendum, quod de constructione ecclesiarum supra observavimus. Sicuti constructio ecclesiarum secundum stilum « barocco » ita etiam musica sub influxu occidentali introducitur. Saeculo XVIII florebat in Occidente musica tam sacra quam profana. Postquam usus musicae paulatim in ecclesiis latinis receptus fuit, etiam nonnullae ecclesiae ruthenae per imitationem hunc morem secutae sunt. De usu musicae in ecclesiis ruthenis praesertim occasione maiorum Festorum et solemnitatum testimonia in documentis saeculi XVIII non desunt.⁵⁶ De liceitate musicae in ecclesiis disserit auctor *« Instructionis de ritibus »*, qui usum musicae saltem pro ecclesiis latinis aperte defendit.⁵⁷

Quod spectat usum *Rosariorum*, observandum est, hunc usum multo antiquiorem esse in Ecclesia Ruthena quam usus organorum vel musicae, quia iam paulo post conclusionem S. Unionis anno 1595 Romae factam Romanus Pontifex Clemens VIII donavit Hypatio Potij, Episcopo Volodimiriensi et Cyrillo Terleckyj, Episcopo Luceoriensi multas Coronas, Rosaria, Cruces, Numismata et Imagines, quibus varias indulgentias adnexit.⁵⁸ Similes indulgentias quoad Rosaria concessit Papa Paulus V etiam Metropolitano Josepho V. Rutskyj eiusque successoribus.⁵⁹

De diffusione Rosariorum in Ecclesia Ruthena in testimonium

⁵⁴ « In creatione (ecclesiarum et oratorium publicorum) antiquae Ecclesiae consuetudo quantum commode fieri poterit, servetur... » Et descripta forma ecclesiae secundum exigentias Ritus Byzantini decretum sic prosequitur: « Cum vero hic ordo et internus ecclesiarum cultus paucis retro annis mediante hominum novitati studentium opera omitti, imo etiam magna ex parte adrogari.. cum summo Ecclesiae dedecore et Schysmaticorum scandalo coperit, imprimis curam diligentem adhibeant Episcopi, ut huiusmodi supra praescripta forma quantum fieri potest in ecclesiis reintegretur » (ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 99, fol. 36v-37r).

⁵⁵ APF, *Scritt. Rifer. Congr. Gener.*, (a. 1787), vol. 876, fol. 355.

⁵⁶ Cfr. AS, t. X (Vilna 1874), pag. 317, 324, 326, 353, 354, 358.

⁵⁷ « Poučenije o obrjadach », fol. 32rv.

⁵⁸ APF, *Scritt. Rifer. Congr. Gener. Ruthenia, Polonia, Kiovia, Ungaria* (1658-1668), fol. 46-47.

⁵⁹ IBIDEM, fol. 47. Cfr. etiam de hoc apud J. PRASZKO, *op. cit.*, pag. 304-305.

etiam hoc afferri posset, quod in nonnullis Euchologiis ruthenis specialis ritus «*Benedictionis coronarum vel Rosariorum*» invenitur.⁶⁰

Ex verbis Archiepiscopi Polocensis non apparet, qualem ille usum Rosariorum hic condemnet et critizet, scilicet utrum ille morem recitandi Rosaria privatum, an publicum in ecclesia ad instar functionis liturgicae pree oculis habeat. Nobis tamen videtur, Archiepiscopum Polocensem probabiliter illum ultimum morem recitandi Rosaria in mente habere, qui generaliter cum litaniis et sic dicta Supplicatione ante expositionem Sanctissimum loco Vesperarum fiebat, et hoc modo notabiliorem quam mere privata Rosarii recitatio innovationem secum ferebat.

⁶⁰ *Eucholog. Suprasl.* (1736), pag. 571-573.

CAPUT V.

De obiecto reformationis liturgicae: Reductio Festorum (III).

1. *Observatio Festorum in Ecclesia Ruthena saeculo xviii.* - 2. *Reductio Festorum ab H. Lisowskyj proposita eiusque motiva.* - 3. *Reductio Festorum Corporis Domini et B. Josaphat in specie.*

Non solum in caeremoniis S. Missae administrationeque Sacramentorum quaedam reformanda ab Archiepiscopo Polocensi proponebantur, sed etiam in observantia Festorum. Reformatio consistebat in reductione nonnullorum Festorum, in Ecclesia Ruthena in cursu temporis introductorum et a Synodo Zamostiensi impositorum.

1. Quaenam Festa in Ecclesia Ruthena ante Synodum Zamostensem fuisse celebrata,¹ non satis constat. Praeter Festa principalia, quae ab universa Ecclesia Ruthena obsevabantur, erant in usu nonnulla Festa minoris gradus, in quorum observantia probabiliter nulla aderat uniformitas, sed secundum diversas regiones variae consuetudines vigebant. Ita saltem ex tenore constitutionis Synodi Zamostensis de Festis observandis concludi potest. Synodus enim, ut in tota provincia ecclesiastica uniformitatem in observandis Festis introduceret, numerum Festorum accurate determinavit et severe prohibuit alia vel plura Festa populo imponere, quam quae in ipsa Synodo sancita fuerant.²

In elenco Festorum a Synodo Zamostensi composito enumerabantur Festa mobilia et immobilia, quae uniformiter ab universa Ecclesia Ruthena observari debebant,³ denique nonnulla Festa « seorsiva » seu

¹ Agitur de Festis, in quibus populus ad Sacrum audiendum ex pracepto tenebatur.

² « Ne vero ex multiplicatione Festorum, quae, ut Ecclesiae mens est, quandoque non observantur, contingat, ut augeantur peccata populi: prohibet Synodus Parochis sub gravissima poena arbitrio Ordinarii, ne praeter diem Dominicam, alia festa celebrent, aut populo denuncient, quam ea, quae sequuntur... » SPRZ, Tit. XVI (*De Jeiuniis et Festis*), pag. 120.

³ *Festa immobilia* haec praescribuntur: Circumcisio Domini (1-I), Epiphania (6-I), Festum SS. Basillii Magni, Gregorii Nazianzeni et Joannis Chrysostomi (30-I), Purificatio B. Virg. Mariae (2-II), Annuntiatio B. Virg. Mariae (25-III), S. Georgii Martyris (23-IV), Sancti Joh. Evangelistae (8-V), Translatio S. Nicolai (9-V), Nativitas S. Joh. Baptistarum (24-VI), SS. Petri et Pauli (29-VI), S. Heliae Prophetae (20-VII), S. Annae (24-VII), Transfiguratio Christi Domini (6-VIII), Assumptio B. Virg. Mariae (15-VIII), Decollatio S. Joh. Baptistarum (29-VIII), Nativitas B. Virg. Mariae (8-IX), Exaltatio S. Crucis (14-IX), Beati Josaphat Martyris (16-IX), S. Joannis Evangelistae (26-IX), Protectio Beat. Virg. Mariae (1-X), S. Michaelis Archangeli (8-XI), Praesentatio Beat. Mariae Virginis (21-XI), S. Nicolai (6-XII), Conceptio B. Mariae Virginis (9-XII), Nativitas Christi Domini (25-XII), S. Josephi (26-XII), S. Stephani (27-XII). — SPRZ, pag. 120-121.

Festa mobilia: Pascha, Ascensio Christi Domini, Pentecostes, Festum Sanctissimae Trinitatis, Festum Corporis Christi Domini, Festum Dolorosae Beatissimae Marie Virginis. — SPRZ, pag. 121.

peculiaria, quae solummodo in aliquibus regionibus obligatoria erant.⁴

Praxis Festorum observationis in Synodo Zamostiensi stabilita per saeculum XVIII perdurabat. In decretis pro Synodo 1765 praeparatis catalogus Festorum Synodi Zamostensis retineri et observari non solum iubebatur, sed etiam introductio Festi S. Andreae Apostoli proponebatur.⁵

Iuvat addere, quod catalogus Festorum Synodi Zamostensis praeter Festa communia tum Unitis tum Non-Unitis nonnulla Festa solis Unitis propria continebat.⁶ Sed haec differentia inter Unidos et Non-Unitos in Regno Poloniae et Lithuaniae non sentiebatur. Cum post primam Poloniae divisionem (1772) archidioecesis Polocensis sub dominium imperii Rossiaci transierat, Gubernium Rossiacum et praesertim possessores terrarum, qui ipsi orthodoxam profitebantur religionem, aegre ferebant multiplicata in Ecclesia Ruthena Festa. Inde urgens oritur necessitas, celebrationem Festorum Ritus Rutheni ad novas circumstantias adaptare et quam primum reformatum.

2. Archiepiscopus Polocensis iam statim post promotionem in cathedram episcopalem de reformatione Festorum sollicitus erat.

Primam petitionem de reductione Festorum proposuit S. Congregationi de Prop. Fide in epistula die 25 Januari 1785 scripta. Archiepiscopus hoc tempore Petropoli commorabatur et fortasse ipsum Gubernium Rossiacum ad petendam Festorum reductionem eum impellebat.⁷ Hac vice H. Lisowskyj apud S. Congregationem nihil obtinuit, quia singillatim non indicavit, quaenam Festa supprimere vellit.⁸

Epistulis diebus 22-II-1786 et 28-XII-1786 ad S. Congregationem datis Archiepiscopus Polocensis petitionem renovavit, sed simul etiam Festa, quae supprimi possent, enumeravit, necnon motiva huius suppressionis indicavit.

Inter Festa supprimenda recensentur ab Archiepiscopo Polocensi haec: Festum S. Joannis Evangelistae (8-V et 26-IX), Festum S. Nicolai (9-V et 6-XII), Festa S. Georgii, S. Eliae, S. Annae, Ss. Romani et Davidis, Festum Decollationis S. Joannis Baptistae, Festum Beati Josaphat, denique ex mobilibus Festis: Festum Corporis Christi Domini et Dolorosae Mariae Virginis.⁹ Insuper rogabat Archiepiscopus ut daretur ei

⁴ «Festa scorsiva haec sunt: S. Pantaleonis Martyris (27-VII) in Volhynia, Sancti Romani et Davidis (2-V et 24-VII) in Lithuania. — SPRZ, pag. 122.

⁵ «Festorum observandorum a Synodo Zamosciana confectum catalogum laudet et servari praecipiatur S-a Synodus hoc adjuncto, ut dies tertia Pentecostes inviolabiliter per omnes dioeceses servetur statuatque, ut festum s. Andreae Apostoli Primi Russiae Illuminatoris eodem catalogo adiiciatur» (Art. 9-nus, ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 99, fol. 43v).

⁶ *Huiusmodi erant:* Festum SS. Basilii M. Gregorii Naz. et Joh. Chrysostomi (30-I), S. Georgii Martyris (23-IV), S. Johannis Evangelistae (8-V), S. Heliae Prophetae (20-VII), S. Annae (24-VII), Beati Josaphat Martyris (16-IX), Conceptio B. Mariae Virginis (9-XII), Festum SS. Trinitatis, Festum Corporis Christi Domini, Festum Dolorosae Mariae Virginis.

⁷ Secundum P. PIERLING petitio H. Lisowskyj pro reductione Festorum simul cum duobus aliis erat «dictata» Petropoli. Cfr. opus huius auctoris «*La Russie et le Saint-Siège*», t. V, (Paris 1912), pag. 164.

⁸ *Epist. Cardinalis Antonelli*, 14-V-1785 ad H. Lisowskyj, ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 70, fol. 201.

⁹ *Epist. 22-II-1786 ad S. Congr. Pr. Fide*, ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 70, fol. 304rv.

facultas dispensandi etiam « super reliquis (Festis), quae primae non sunt classis », quotiescumque a potestate saeculari exigetur.¹⁰

Inter motiva, quibus nixus H. Lisowskyj reductionem Festorum urgebat, primo loco adducitur motivum inconvenientiae. Multiplicatio Festorum in Ecclesia Ruthena nihil aliud est, quam deviatio a sana traditio Ecclesiae Orientalis. Haec enim Festa « ultra congruum »¹¹ id est « ultra morem Ecclesiae Orientalis multiplicata » sunt,¹² ita ut eorum observantia pro populo in imperio Rossiaco impossibilis facta est.

Huc accedit aliud motivum characteris potius « oeconomici ». Festa memorata celebrabantur maxima ex parte temporibus laborum campestrium et agrorum possessores, qui erant orthodoxi, nolebant privari laboribus servilibus suorum subditorum.¹³ Porro haec Festa ab illis aegre ferebantur, quia prorsus ignota erant. Hoc praesertim refertur ad Festa Corporis Christi Domini et Beati Josaphat « noviter per Synodum Zamoscianam instituta, quae utpote apud nos nova, plebs ad observandum nullo modo adduci potest ».¹⁴

Denique ultimum motivum, propter quod a potestate saeculari dispensatio a Festis apud Ruthenos introductis exigebatur, erat, quod similis reductio Festorum a S. Sede Apostolica iam paucis annis ante fidelibus Ritus Latini in imperio Rossiaco concessa fuit.¹⁵ Si igitur S. Sedes Apostolica imploratam Festorum reductionem pro fidelibus Ritus Rutheni diutius recusare aut procrastinare persistet, adest periculum, quod ipsum Gubernium Rossiacum per edictum imperiale haec Festa abrogabit. Sed ex tali solutione, ut observat H. Lisowskyj, gravis despectus auctoritatis S. Sedis Apostolicae et contemptus Religionis Catholicae sequeretur.¹⁶

3. Ut supra vidimus, H. Lisowskyj inter Festa abroganda etiam Festum Beati Josaphat Martyris et Festum Corporis Christi Domini recensuit. Hoc evidenter magnam mirationem, imo et scandalum tum Romae tum praesertim apud clerum ruthenum excitavit. Qua de causa H. Lisowskyj a suis contemporaneis de nimia condiscendentia et inclinatione ad Schisma suspiciebatur.¹⁷

Notandum tamen est, Archiepiscopum Polocensem, dum haec Festa abroganda proposuerat, non aliis motivis et rationibus ad talem passum perductum fuisse, quam quae pro reductione ceterorum Festorum invocabat. Accedit, quod haec Festa pro Schismaticis maxime odiosa erant.

¹⁰ IBID., fol. 304v.

¹¹ IBID., fol. 304r.

¹² Epist. 28-XII-1786 ad S. Congnem Prop. Fide, APF, Scritt. Rif. Congr. Gener., t. 876, fol. 356.

¹³ IBIDEM, APF, Scritt. Rif. Congr. Gener., t. 876, fol. 356v.

¹⁴ Epist. 22-II-1786 ad S. Congnem Prop. Fide, ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 70, fol. 304v.

¹⁵ Facultatem dispensandi ab observatione nonnullorum Festorum recipit St. Siestrzencewicz episcopus omnium fidelium Ritus Latini in Rossia a S. Sede Apostolica per indultum diei 7 Aprilis 1777. Cfr. APF, Scritt. Rifer. Congr. Gener., t. 876, fol. 343.

¹⁶ Epist. 28-XII-1786 ad S. Congnem Prop. Fide, APF, Scritt. Rif. Congr. Gener., t. 876, fol. 356v.

¹⁷ Epist. Nuntii P. Saluzzo 8-VI-1785 ad S. Congnem Prop. Fide, APF, Scritt. Rif. Congr. Mosc. Pol. Rut., t. 15, fol. 555.

Festum enim Corporis Christi Domini sub influxu latino introductum in Rossia omnino inauditum erat. Adhuc magis offendebantur Schismatici Festo Beati Josaphat, ab illis in odium S. Unionis occisi, cuius memoriam haud tolerare poterant. Per reductionem utriusque Festi H. Lisowskyj Schismaticorum odium et offensionem esse evitaturum sperabat.¹⁸

Cum postea a S. Congregatione rescriptum fuerit, quod tum Festum Corporis Christi Domini tum Beati Josaphat nullomodo abrogari, sed retineri deberent,¹⁹ H. Lisowskyj S. Congregationem saltem ad hoc adducere conabatur, ut memorata Festa in proximam diem Dominicam transferri possent.²⁰ Ratio huius ultimi propositi iterum erat, ut fideles Ritus Rutheni etiam retentis Festis offensionem Schismaticorum evitare possent.²¹

In favorem sui propositi Archiepiscopus Polocensis afferebat exemplum Episcopi Luceoriensis Theodosii Rudnyckyj (1731-1750), qui pro sua dioecesi statuit, ut Festum B. Josaphat in proximam diem Dominicam post diem 16 Septembris transfereretur.²² Expedit hoc loco addere, quod iam in decretis pro Synodo anni 1765 praeparatis propositum erat Festum B. Josaphat « causa majoris solemnitatis » proxima die Dominicana celebrari.²³

Ex dictis igitur patet, H. Lisowskyj etiam quoad observantiam Festorum antiquam Ecclesiae Ruthenae disciplinam restituere et ita illa omnia, quibus fideles Rutheni a Schismaticis differebant, eliminare voluisse.²⁴ Practice id nihil aliud significabat, quam praxim a Synodo Zamostensi stabilitam relinquere, et loco illus in observandis Festis praxim apud dissidentes hoc tempore vigentem recipere.²⁵

¹⁸ Epist. 22-II-1786 ad S. Congnem de Prop. Fide, ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 70, fol. 304v.

¹⁹ Epist. Cardinalis Antonelli 29-IX-1787 ad H. Lisowskyj, ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 71, fol. 28v.

²⁰ Epist. 23-XII-1787 ad S. Congnem de Prop. Fide, ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 149, fol. 629v-630.

²¹ I.B.D.

²² I.B.D., fol. 629v-630.

²³ « Festum Beati Martyris Josaphat ut causa majoris solemnitatis in Dominicam, decimam sextam Septembris diem subsequentem, transferri possit, recurret suplex S. Synodus ad Sedem Apostolicam » (*Synod.* 1765, Art. 9, § 16, ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 99, fol. 43v).

²⁴ Reductionem Festorum non solus H. Lisowskyj sed etiam rex Poloniae Stanislaus A. Poniatowski pro suis subditis Ritus Rutheni in Polonia et Lithuania obtinere studebat. Instantia regis pro reductione Festorum eodem fere tempore (id est anno 1786) apud S. Sedem Apostolicam praesentata est. (Cfr. de hoc fusius in APF, *Scritt. Rifer. Congr. Gener.*, t. 876, fol. 342-348, Nota 4).

²⁵ H. Lisowskyj rogatus a S. Congregatione de Propaganda Fide, ut indicaret quaenam Festum apud Unitos tum apud non-Unitos observari soleant, in epistula 23-XII-1787 totum Festorum Calendarium apud non-Unitos vigens excrispsit ita subiungendo: « haec ipsa Festa, nec alia nec plura Uniti etiam ante Synodum Zamoscianam observabant, ut patet ex huius temporis praxi nondum ex hominum memoria deleta » (ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 149, fol. 629v).

CAPUT VI.

De motivis reformationis liturgicae deque remedio in eadem adhibendo.

1. Motivum iuridico-liturgicum. - 2. Motivum unionisticum. - 3. De Euchologio Benedicti XIV.

Exposito obiecto reformationis liturgicae secundum mentem et desiderium Heraelii Lisowskyj accedimus nunc ad expositionem motivorum, quibus ductus Archiepiscopus Polocensis reformationem liturgiae ruthenae propugnabat, et ad indicandum remedium, quod ipse in reformatione adhibendum proponebat.

Primo loco tractabimus *de motivis reformationis liturgicae*. H. Lisowskyj saepe in suis epistulis de variis motivis, quae eum ad reformatam liturgiam impellebant, sermonem facit. Haec omnia motiva ad duo principaliora reduci et ita enuntiari possunt: Sunt tollendae ex liturgia ruthena omnes innovationes:

- 1) *quia illegitime introductae sunt* (motivum iuridico-liturgicum) et
- 2) *quia S. Unioni maxime nocent* (motivum unionisticum).

1. MOTIVUM IURIDICO-LITURGICUM.

De motivo iuridico-liturgico iam quaedam innuimus, cum sermo es-
set de principiis fundamentalibus reformationis liturgicae.¹ Hoc loco fu-
sius de eodem motivo tractare volumus. Ipse Archiepiscopus Polocensis,
uti statim videbimus, in hoc maxime insistebat.

Uti diximus, H. Lisowskyj omnes innovationes liturgiae ruthenae eli-
minare volebat, propterea quod easdem pro illegitimis ideoque omni val-
lore iuridico destitutis habebat. Secundum eius opinionem mutationes illae « non legitima auctoritate inductae, non consuetudine adeo diurna firmatae, sed privatorum temeritate pedetentim in Ruthenam Graeco-Ca-
tholicam Ecclesiam inserptae »² ideoque reformandae sunt.

Illegitimitas innovationum in liturgia ruthena secundum mentem H. Lisowskyj reponenda est imprimis in hoc, quod illae « *inconsulta Sede Apostolica* »³ introducebantur. Innovationes igitur in liturgia ruthena non

¹ Cfr. caput II, pag. 51s.

² *Epist. diei* 28-XII-1786 ad S. Congr. de Prop. Fide — APF, *Scritt. Rifer. Congr. Gener.* vol. 876, fol. 353r.

³ IBID., fol. 353v.

solum absque confirmatione ex parte S. Sedis Apostolicae, sed etiam contra eiusdem voluntatem factae sunt, et qua tales promissionibus Romanorum Pontificum de servando Ritu contradicunt.⁴

Quod vero illegitime introductae mutationes in Ritu Rutheno paulatim invaluerunt, hoc tribuendum est « incuriae » et « oscitantiae » Episcoporum, maxime vero Metropolitanorum. Responsabiles sunt Episcopi rutheni, quia Ritus Ruthenus per illorum incuriam et oscitationem « sensim coepit corrumpi ».⁵ Sed adhuc magis culpabiles sunt Metropolitanani Kiovienses totiusque Russiae, quia iniunctum eis a Synodo Zamostiensi opus componendi typicam librorum liturgicorum editionem cum consensu et approbatione S. Sedis Apostolicae neglexerunt.⁶ In sua epistula ad Metr. J. Smogorzewskyj Archiepiscopus Polocensis aperte et non sine ironia observat, eum debere quantocius adimplere id, quod eius antecessores cum magno detimento pro Ecclesia et Ritu Rutheno facere omiserunt.⁷

Maximam culpam quoad introductionem illegitimarum innovationum H. Lisowskyj « temeritati privatorum » tribuit, praesertim vero variis typographiis ruthenis necnon monasteriis.

Iam ante H. Lisowskyj aderant viri ecclesiastici, qui nimiam libertatem typographorum in mutandis caeremoniis Ritus Rutheni detestabant et condemnabant. Memorandi sunt imprimis ep. Chelmensis M. Ryllo,⁸ Basilianus P. Samuel Nowickyj,⁹ Nuntius Varsaviensis J. Garampi,¹⁰ et quidam auctor anonymus.¹¹ Non est igitur mirum, quod H. Lisowskyj

⁴ IBID., (...« non esse Ecclesiae Romanae mentem et intentionem vel voluntatem eundem antiquum Ritum tollere, quinimo eum benigne Ruthenis Episcopis et Clero indultum, atque concessum esse »).

⁵ IBID., Cfr. Etiam epistulam *H. Lisowskyj ad S. Congr. de Prop. ex die 22-II-1786*, ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 70, fol. 302. De responsabilitate Episcoporum quoad rituum immutaciones quidam auctor *anonymus* ita scribit (anno 1773): « Plures abusus sunt (in liturgia ruthena!), quos enumerare esset quasi impossibile, cuius autem causa ii †introducti fuerint? — ignoratur, sed forte negligentia eorum, ad quos spectat, ut ritus introducti in Ecclesia intacte et sacrosancte conserventur » (ASV, ARCH. NUNZ. VIENNA, t. 75, fol. 86v).

⁶ Patres Synodi Zamostiensis « demandant Metropolitanano curam componi Rituale, quo omnes Ecclesiae nostrae utantur, id quidem etsi non ad rem tamen effectum est, cur vero alterum, nempe ut hoc Rituale a S. Sede approbaretur, hactenus omissum (est), divinare non possum » (*Epist. 22-II-1786*. — ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 70, fol. 302v).

⁷ « Clare itaque me explicando, do meum consilium Exc. V.rae, quatenus ad majorem utilitatem Ecclesiae Sanctae et ad nostram existimationem, exclusis omnibus novitatibus ex Ritu, quem tenemus, ad mentem Synodi Zamoscianae Euchologium, conforme cum Romano componi quantocius iubeat adimplendo id, quod antecessores Sui adimplere neglexerunt » (*Epist. ad Jas. Smogorzewskyj die 8-II-1786*, ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 149, fol. 570).

⁸ Cfr. epistulam eiusdem *ad Nuntium Garampi* die 22-II-1776 — ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 146, fol. 93rv.

⁹ *Epist. P. Nowickyj ad Nuntium Garampi* die 4-III-1776. — APF, *Scritt. Rif. Congr. Mosc. Pol. Rut.* (1775-1776), t. 12, fol. 449.

¹⁰ « Mi accorsi essere nel Clero Rutheno molta confusione nell'ordine dei divini Uffici, proveniente dalle molte e varie Edizioni, che di mano in mano sonosi fatte dei Breviari, Messali e altri Libri ecclesiastici. Ciascuna è diversa dall'altra: gli additamenti sono moltissimi di sorte che non di rado accade, che due Preti non possono combinarsi nel Divino Ufficio, stante la diversità delle Edizioni dei Breviari, delle quali sono rispettivamente provisti » (*J. Garampi ad Cardinale Praefectum de Prop. Fide, Castelli die 13-III-1776*, APF, *Scritt. Rifer. Congr. Mosc. Polon. Rut.*, t. 12, fol. 447).

¹¹ « In qualibet Typographia aliae Caeremoniae in Missalibus imprimuntur, ita ut quaelibet

acerbissimis verbis difformitatem editionum librorum liturgicorum ruthenorum reprobat. Carpit in particulari editiones, post Synodum Zamostiensem Suprasliae, Unioviae et Vilnae factas, quae antiquum Ritum notabiliter deformaverunt.¹² Temeritas et arbitrium in mutandis caeremoniis apud varias typographias tanta evadit, « ut vix remanserit aliqua ex Sanctis antiquis caeremoniis, quae pro libitu horum (editorum) non immutaretur aut cum contemptu non omitteretur ».¹³

Quaenam est causa huius temeritatis erga Ritum? H. Lisowskyj hanc causam ita exponit: « Cuius immutationis aut omissionis nullam ab iis redi rationem, quam quod ejusmodi caeremoniae ad substantiam Ritus minime spectent; - quod si ulterius quaeras: « quaenam caeremoniae de substantia Ritus sint? » - non video aliud eis restare ad respondendum, quam ut hoc quaesito pressi dicent: « eas solas esse, quae ad conficiendi Sacramenti valorem pertinent ».¹⁴

Alia causa mutationum in liturgia consistit secundum Archiepiscopum Polocensem in satis diffusa, tamen radicus falsa persuasione apud multos tam Unitos, quam Latinos, quod *Uniti suum proprium Ritum habere debent*, quo magis a non-Unitis discernerentur. Corruptio Ritus Rutheni, ut dicit H. Lisowskyj, « tum nostris tum Latinis simplicioribus multum perplacet, idque ex falsa hac persuasione, ac si esset Ritus proprius ac characteristicus Unitorum, quo a non-Unitis discernantur ».¹⁵ Ex hac persuasione orta est « affectata in morem simiae imitatio » Ritus Latini,¹⁶ quae nullo fundamento nititur, imo voluntati S. Sedis Apostolicae aperte contraria est.¹⁷

Contra tales contemptores et corruptores proprii Ritus H. Lisowskyj provocat ad Concilium Tridentinum, quod omnes contemptores receptorum in Ecclesia caeremoniarum anathemati tradidit.¹⁸

« Temeritas privatorum », quae secundum H. Lisowskyj principalis fons et causa corruptionis Ritus Rutheni habenda est, non solum apud varias typographias, sed *etiam in monasteriis locum habet*. Imo in monasteriis Ritus Ruthenus primo immutari et corrumpi incipit. Ex monasteriis enim « depravationes rituum primum emanatae, in animis omnium

Typographia post quamlibet impressionem libri semper aliquid addere vel mutare vel minuere (censuerit), sed quanam autoritate prorsus ignoratur » (ex anno 1773). — ASV, ARCH. NUNZ. VIENNA, t. 75, fol. 86).

¹² APF, *Scritt. Rifer. Congr. Gener.*, t. 876, fol. 354 (*Epist. H. Lisowskyj ad S. Congr. Prop. Fide, 28-XII-1786*).

¹³ IBID., fol. 353v.

¹⁴ IBID., fol. 353v.

¹⁵ ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 70, fol. 303v (*Epist. H. Lisowskyj ad S. Congr. Prop. Fide, 22-II-1786*).

¹⁶ APF, *Scritt. Congr. Gener.*, vol. 876, fol. 353 (*Epist. 28-XII-1786*).

¹⁷ IBID., fol. 353v.

¹⁸ « Si quis dixerit, receptos et approbatos Ecclesiae catholicae ritus in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos aut contemni, aut sine peccato a ministris pro libito omitti, aut in novos alias per quemcumque ecclesiarum pastorem mutari posse, - anathema sit ». Denzinger-Umberg, *Enchiridion Symbolorum*, (Ed. 21-23, Friburgi Brisg. 1937), N. 856, (pag. 301) — Citatur apud H. Lisowskyj in epist. 28-XII-1786 ad S. Congreg. Prop. Fide, — APF, *Scritt. Rifer. Congr. Gener.*, t. 876, f. 353v).

aliorum insederunt ».¹⁹ Pro confirmatione suaे sententiae citat Archiepiscopus Polocensis testimonium famosi Jacobi Goar, qui Basiliensis Italo-Graecis corruptionem Ritus Graeci in Italia imputat,²⁰ « quorum vestigia Nostri (sc.ⁱ Basiliani rutheni) sequuntur ».²¹ Memorat etiam librum Petri Pompilii Rodotà, qui de evolutione et alteratione Ritus Greci in Italia fusius tractat et praesertim Monachos Basilianos pro latinisatione Ritus Italo-Graeci vituperat.²²

Ex consideratione causarum et motivorum, quae in corruptionem Ritus Rutheni influxerunt, H. Lisowskyj conclusionem deducit, illum Ritum « mixtum et « spuriū » esse et qua talem nunquam a S. Sede Apostolica approbari posse. Est enim Ritus illegitime et inepte ex Ritu Graeco et Latino efformatus.²³ E contra S. Sedes Apostolica, si satis informata esset, hunc Ritum potius reprobavisset quam approbavisset.²⁴

2. MOTIVUM UNIONISTICUM.

Aliud motivum reformationis liturgicae, in quo H. Lisowskyj praeципie insistebat, est *motivum unionisticum*. Secundum Archiepiscopum Polocensem bonum Ecclesiae Ruthenae et progressus S. Unionis exigit, ut finis ponatur deformationibus antiqui Ritus, et ut omnes illegitimae innovationes extirpentur.

Ante omnia urgenda est reformatio liturgica, quia rituum *deformationes pro populo grave scandalum constituunt et ansam apostasiae a S. Unione praebent*.

De scandalo populi Archiepiscopus Polocensis ita ad Metr. Jasonem Smogorzewskyj scribebat: « Si adhuc id nostrum carum Rituale²⁵ non praeveret magnum scandalum rudi populo, et ab Unitate S. non arceret, quemadmodum et Dominatio Vestra Excellentissima in Ukraina expe-

¹⁹ *Epist. ad S. Congr. Prop. Fide*, 23-XII-1787, ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 149, fol. 630v.

²⁰ « Jacobus Goar in notis in S. Chrysostomi Missam de corrupto similem in modum, quo

Monachi Ordinis S. Basilii in Occidente iam tunc utebantur Rituali, agens, hanc censuram affigit: « quamvis (inquit) ab errore aut suspecto cultu, non tamen a nativitate quadam inducta (pro-affectata ab ipsis maiore cum latinis conformitate) alienum est censemendum » (*Epist. ad S. Congr. Prop. Fide*, 22-II-1786, ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 70, fol. 302v). Cfr. GOAR, Σύνολός του sive Rituale Graecorum, Parisiis 1647, (I ed.), pag. 109.

²¹ *Epist. ad J. Smogorzewskyj* 8-II-1786, ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 149, fol. 568v.

²² De corruptelis rituum « totum librum edidit advocatus Romanus Rodotà, vocando has nostras novas Caeremonias *spuriū Ritum...* » (*Epist. ad J. Smogorzewskyj*, 8-II-1786, ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 149, fol. 568v). Liber, ad quem hic H. Lisowskyj alludit, est famosa dissertatio P. P. Rodotà: « Dell'Origine, progresso e stato presente del Rito Greco in Italia osservato dai Greci, monaci Basiliani, e Albanesi », libri tre — Roma 1758-1763.

²³ « ...Certus sum, nunquam obtineri posse hujus novi nostri Ritualis ex Graeco et Latino inepte commixti Apostolicam approbationem » (*Epist. ad S. Congr. Prop. Fide*, 22-II-1786, ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 70, fol. 302v).

²⁴ « Quae (sc. Missalia, Pontificalia et Ritualia post Synodum Zamostiensem edita) si Roma videret, satius reprobaret quam approbaret eadem (*Epist. ad J. Smogorzewskyj*, 8-II-1786, ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 149, fol. 568v) vel « ...Sedem scilicet Romanam non modo ista non probare, sed neque explorata sciare utpote a nemine hactenus de his plene informatam » (*Epist. ad S. Congr. Pr. Fide*, 28-XII-1786. — APF, *Scritt. Rif. Congr. Gener.*, t. 876, fol. 356).

²⁵ Nomine « RITUALE » intelligendum est hic latiori sensu. Apud H. Lisowskyj saepe hoc nomen occurrit ad designandum totum Ritum, et non solum librum Rituale seu Trebnik.

ritur, - possemus adhuc ad aliquot tempus illo uti, sed cum ego plurimas Ecclesias vacante Sede ex causa hujus Ritualis ad non-Unionem avul-
sas non sine dolore cordis video, constitui non utendum ulterius eodem
in hisce oris tamquam non approbato, data prius de hoc notitia Sedi
Apostolicae ».²⁶

Eandem opinionem de scandalo populi exponit Archiepiscopus Polocensis etiam in epistula ad S. Congregationem de Propaganda Fide. Innovationes in Ritu, dicit, esse occasionem quod « multa inter ipsos Unidos suborta (sunt) scandala praesertim in rudi populo, qui in hanc diem novum istud Rituale pati neutiquam potest. Unde statim notabilis pars Ukrainae ad non-Unitos transivit,²⁷ tum denuo paucos ante annos plus quam ad trecentos ibidem Parochias hac ipsa de causa a Suo Unito Pastore defecerunt unice contra hoc clamitantes: « Non volumus ut nobis Unio, sed ut Orthodoxa nobis celebrentur », ita nimirum hunc novum Ritum detestando ipsam Unionem, quam in novo isto Ritu unice consistentem existimant, abhorrent ».²⁸

Et loquens de sua dioecesi ita continuat: « In mea Eparchia sede vacante, et post, plus quam centum Parochiae eadem de causa, ob aversionem nempe hujus novi Ritus ovile suum deseruere: et nisi proposito a me medio tempestivo occurratur, exemplo harum plures ad par-rem defectionem non uno in loco dispositae sunt ».²⁹

Etiam in epistula ad Nuntium Varsaviensem F. Saluzzo evolvendo motiva, quae eum ad reformationem liturgicam maxime cogunt, de scandalo populi et de apostasia a S. Unione disserit. Confiteatur enim, se reformare velle « non haec, quae non vitiosa neque in se non reprehenda (sunt), aut quibus Religio ac pietas exercetur...», sed quae offensioni et scandalo multis sunt ac rudem populum inter Ritum et Fidem differentiae ignarum et hoc in puncto minime persuasum ad defectionem a Sancta Unione proxime disponunt nostramque Ecclesiam Unitam ultra modum deformant, indeque summo non-Unitorum contemptui obnoxiam reddunt ».³⁰

Deformationes in liturgia ruthena non solum pro populo Unito occasio-
nem scandali praebent, sed *multo magis adhuc dissidentes seu schi-
smaticos a S. Unione deterrent et ipsam ideam Unionis odiosam illis red-
dunt*.

Cum profundo dolore Archiepiscopus Polocencis Nuntio F. Saluzzo refert, quod omnes vel minimae mutationes in Ritu pro « non-Unitis, praesertim in locis, ubi Uniti et non-Uniti permixtim degunt, occasionem scandali atque sic ansam Sanctae Unionis aversandae praebant et odia corum in se ultiro concitent ».³¹

²⁶ Epist. ad metrop. J. Smogorzewskyj, 8-II-1786, ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 149, fol. 569rv.

²⁷ Hic alludit Archiep. Polocensis ad apostasias, quae in Ukraina annis 1768-1769 locum ha-
beant. Cfr. LIKOWSKI E., *Dzieje...*, I, pag. 121-122, 135-150.

²⁸ Epist. ad S. Congr. Prop. Fide, 22-II-1786, ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 70, fol. 303.

²⁹ Ibid., — Hic loquitur H. Lisowskyj de transitu Unitorum ad Ecclesiam non-Unitam tem-
pore sedisvacantiae (1780-1784) in archiepiscopatu Polocensi.

³⁰ Epist. ad F. Saluzzo, 28-XII-1786, ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 149, fol. 608.

³¹ Epist. ad F. Saluzzo, 27-VI-1787, ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 149, fol. 619.

Ritus Ruthenus propter innovationes nullam iam amplius aestimationem habet apud non-Unitos et aperte ab illis deridetur. Non-Uniti enim dicunt: « Vester Ritus nec Latinus est nec Graecus, sed quid medium atque spurium, quia non a Sanctis Patribus acceptum ».³² Propterea Schismatici aversantur ab Ecclesia catholica: « Audio enim saepissime, quoties in colloquio aliquo sermo de hoc (ritu) incidit, non modo Episcopos, sed et saeculares Dominos contra deformationem antiqui Ritus a Nostris improbe, ut isti ajiunt, factam plurimum stomachari indigneque ferre, ac Sedem Romanam, quod talia permittat, incusare, ad quae pro defensione Sanctae Sedis aliud respondere non habeo praeter hoc unicum: Sedem scilicet Romanam non modo ista non probare, sed neque explorare scire utpote a nemine hactenus de his plene informatam ».³³

Sic Ritus Ruthenus petra scandali evadit pro non-Unitis, tum Ecclesiasticis tum Iaicis. H. Lisowskyj conqueritur, quod non-Uniti eum saepe interrogant de causis et motivis corruptionis Ritus et ipse nescit, quid iis respondendum esset: « Quantum erubescere cogor ad quamlibet interrogationem Magnatorum, qui Ritum Ecclesiae Dei bene intelligunt, in quibus fundamentis hae novitates apud Unitos introductae (sint), cum nequeam me defendere neque auctoritate SS. Patrum neque Constitutionibus Synodi Zamoscianaæ, quae quoad traditionem SS. Patrum omnia fideliter observanda preecepit ».³⁴

Hac occasione H. Lisowskyj narrat, principem Potemkin, Ecclesiae Catholicae in imperio Rossiae protectorem, coram eo Ritum Ruthenum criticavisse. Potemkin « dum in Ecclesia nostra sub tempus solemniter celebratae Missae aderat, postquam finita est, usque ad confusionem mei summam ex Goario ineptias hujus nostri ritus... perstringebat, et quid ad haec responderem certe non inveniebam aliter, quam quod me offrem daturum operam ista reformandi ».³⁵

Fortasse maxime dolet Archiepiscopum Polocensem falsa persuasio multorum Unitorum, qui in alterato pristino Ritu Ecclesiae Ruthenae « Ritu Unitum » conspiquunt. Iam supra locuti sumus de hac persuasione.³⁶ H. Lisowskyj reicit illam categorice tamquam omnino falsam et pro bono S. Unionis maxime nocivam. Haec sunt eius verba: « Et tales

³² *Epist. ad S. Congr. Prop. Fide*, 28-II-1786, ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 70, fol. 303v. In alia epistula ad eandem S. Congregationem (23-XII-1787) affirmat, tollendas esse « corruptelas Ritus nostri ne sit idem Ritus amplius irrisio ac scandalo non-Unitorum » (ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 149, fol. 630).

³³ *Epist. ad S. Congr. Prop. Fide*, 28-XII-1786, APF, *Scritt. Rif. Congr. Gener.*, t. 876, fol. 356.

³⁴ *Epist. ad metr. J. Smogorzewskyj*, 8-II-1786, ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 149, fol. 569v. — Similiter scribit etiam in *Epist. ad S. Congr. Prop. Fide*, 22-II-1786: « Rubore non semel suffundor, quoties inter Magnatos Russiae Ritus non-Uniti versari me contigit, qui istas nobis novas caeremonias duriter exprobant.. Quare, ajiunt, adhuc Graeci Uniti alibi, imo in ipsa Roma Ritum antiquum observant, et apud vos pro more polono ritus sicut apud illos forma vel quotannis nova excogitatur, quippe ut Rituali quisque etiam privatus aliquid addit, vel immutat, nec est certa regula, cui adstringatur, cum etiam quot novae hujusmodi editionis, tot ferme variationes, unde apud vulgus quoque in proverbium abiit: « alius sacerdos, aliae caeremoniae.. » (ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 70, fol. 303v).

³⁵ *Epist. ad S. Congr. Prop. Fide*, 22-II-1786, ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 70, fol. 303v.

³⁶ Cfr. pag. 66.

in praesenti video zelotas nostros, quibus novus ille (a me hic recensitus) spurius Ritus adeo nimis arridet, ut se illo quasi nota una a Schismaticis discerni ac disjungi glorientur, non advertentes se novo hoc Ritu a Sanctissimis Patribus Graecis disjunctos esse ».³⁷

Econtra Archiepiscopo Polocensi firmiter persuasum est, ex alteratione et conformatione Ritus Rutheni cum Latino nihil boni, sed magnum detrimentum pro S. Unione sequi. Secundum eius sententiam deformationes Ritus Rutheni, quae « inepte et ridiculo Latinum Ritum imitantur, tantum abest, ut conjunctionis cum Romana Ecclesia tesseram quamquam praeseferant, quin potius eam, ac si ista cum contemptu Sanctorum Patrum Graecorum in Ecclesiis nostris fieri velit, criminacioni apud non-Unitos exponant, causamque aversandi Sanctam Unionem praebeant ».³⁸

Porro putat H. Lisowskyj, unquam posse dari unionem Ecclesiae Orthodoxae Rossiaceae cum Ecclesia Catholica stante hoc depravato Ritu Rutheno: « Notum enim (est) Sanctae Sedi Apostolicae quam tenacissimi sunt omnes fere Orientales antiqui sui Ritus: hinc quoties de Unione cum Graecis actum erat, praeprimis id sibi cavebant, ut Ritus eorum illaesus servaretur, quod et nostri ineundo cum Sede Apostolica 1596 anno Unionem solemniter sibi praecustodiverant ».³⁹

Non ergo « spurius Ritus », sed Ritus ad suam pristinam formam reformatus conciliare potest animos non-Unitorum, qui usque adhuc ab Unione tantopere abhorrent.⁴⁰ Non ergo a corruptione, sed econtra a reformatione Ritus Rutheni bonum S. Unionis, bona existimatio Sedis Apostolicae et melior reputatio ipsius Ecclesiae Ruthenae apud non-Unitos iure sperari potest.⁴¹

Hanc suam sententiam de necessitate reformationis liturgicae ex motivo unionistico H. Lisowskyj semper contra suos adversarios ardenter defendebat. Ceterum ultimum de hac re iudicium in manus Sedis Apostolicae reponebat. Ad Nuntium F. Saluzzo scribens ita emphatice exclamat: « Dijudicet hic S. Sedes Apostolica pro sua in nos aequitate, quorum hac in parte sunt rationes: - an meae pro restauranda antiquae Ecclesiae disciplina et restituendo pristino Ritu nostro, - an eorum pro nuperime inductisabusib[us] et corruptelis retinendis, quas mordicus defendendo me undique mordent, insimulant ac criminantur... Quis nostrum plus hic delinquit, an qui adiutorio S. Sedis Apostolicae expedito cupit quod destructum (est) reaedificare, an qui spreta auctoritate eiusdem S. Sedis pergit reliquum funditus destruere ».⁴²

³⁷ Epist. ad F. Saluzzo, 28-XII-1786, ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 149, fol. 614.

³⁸ Epist. ad S. Congr. de Prop. Fide, 28-XII-1786, APF, Scritt. Rifer. Congr. Gener., t. 876, fol. 355.

³⁹ Epist. ad S. Congr. Prop. Fide, 22-II-1786, ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 70, fol. 304.

⁴⁰ Ibid.

⁴¹ Epist. ad metrop. J. Smogorzewskyj, 8-II-1786, ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 149, fol. 570.

⁴² Epist. ad F. Saluzzo, 27-VI-1787. — ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 149, fol. 619.

3. REMEDIUM IN REFORMATIONE LITURGICA ADHIBENDUM.

Cum motivis reformationis liturgicae nuper expositis intime cohaeret etiam remedium, quod H. Lisowskyj in reformanda liturgia proponebat. Agitur hic de invenienda via seu modo, quo facilius Ritus Ruthenus ab omnibus innovationibus et corruptelis purgari posset, seu de proximo et practico totius operis fine.

Hic finis practicus, ad quem totum opus Heraclii Lisowskyj tendebat, nihil aliud est nisi *introductio et impositio Euchologii Benedicti XIV pro usu liturgico in Ecclesia Ruthena*. Euchologium Benedicti XIV fuit quodammodo « idea fixa » totius activitatis reformatoriae Archiepiscopi Polocensis.

Non tractamus hoc loco de celebri Euchologico Benedicti XIV de eius historia vel de eius indole, quia haec stricte ad nostrum thema non pertinent.⁴³ Sufficit notare, quod etiam ipsi auctores orthodoxi Euchologium Graecum, iussu Papae Benedicti XIV a. 1754 editum, summis laudibus extollunt propter eius magnam fidelitatem erga traditiones Ritus Graeci.⁴⁴ Hoc Euchologium est igitur pulchrum testimonium pro sincera Sedis Apostolicae voluntate, integritatem et incolumitatem Ritus Byzantini in perpetuum servare.⁴⁵

Etsi Euchologium Benedicti XIV stricte loquendo pro usu solius Ecclesiae Graecae compositum et praescriptum fuerit, tamen etiam in Ecclesia Ruthena non deerant Viri, qui hoc Euchologium pro usu suaे Ecclesiae imponere studebant. Iam supra citavimus decretum anteynodale ex anno 1763, in quo statuebatur, ut in posterum Euchologium Graecum, iussu Benedicti XIV editum ab universa Ecclesia Ruthena recipetur et observaretur.⁴⁶

Sed nemo in Ecclesia Ruthena tantum zelum manifestavit pro introducendo Euchologio Benedicti XIV, quam H. Lisowskyj. Fere in omnibus suis epistulis de hoc Euchologio sermonem facit illudque propugnat. In

⁴³ Multa de hoc Euchologio habentur in Bulla P. Benedicti XIV sub die 1-III-1756 divulgata (« *Ex quo primum tempore...* ») in qua Euchologium Graecum ex offo promulgatum et praescriptum fuit (*Jus Pontificium de Prop. Fide*, pars I, vol III (Romae 1890), pag. 628-658). De ipsis laboribus praeparatoriis consulendum est APF, *Rescripta Congregationis Particularis a SSmo Domino Nostro Benedicto PP. XIV pro Corrigendis Libris Ecclesiasticis Ecclesiae Orientalis deputatae*, t. 8, (1744-1750), et t. 9, (1752-1764).

⁴⁴ Cfr. A. CHOJNACKIJ, *Zapadno-russkaja cerkovnaja Unija v jeju bogosluženiji i obrjadach*, Kiev 1871, pag. 24-25. CHOJNACKIJ appellat Euchologium Benedicti XIV « excellens Euchologium », (pag. 24). Cfr. etiam articulum de Euchologio Benedicti XIV in « *Cholmskij Greko-Uniatskij Mesiacestov* », (pag. 69-77), Warszawa 1871 — sub titulo « *Ispravlenije obrjadov. Liturgija* ».

⁴⁵ Ipse Benedictus XIV in fine supra nominatae Bullae sic dicit: « Compertum sit (nobis), qua diligentia, quo studio, et quam aequae prudentique ratione susceptum opus peractum fuerit. Intacta relicta sunt omnia, quaecumque reperta sunt in suis euchologiis, quae et antiquitate et auctoritate caeteris praestant: nihil ademptum aut emendatum est, nisi quod in recentiores quasdam editiones nonnullorum oscitantia aut malitia irrepuisse apparuit... Ex quibus omnibus... sinceram nostram et Apostolicae Sedis in vos caritatem testatam vobis esse non dubitamus... » (*Jus Pont.*, p. I, vol. III, p. 658).

⁴⁶ Cfr. ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 99, fol. 35. Ipsum decretum citavimus iam in *Introductio-ne*, pag. 24.

epistula ad S. Congregationem de Prop. Fide sic scribit: « Supplicavi et nunc iterum humillime supplico Sanctae Sedi Apostolicae permittere imo demandare mihi eiusmodi abusum et corruptelam (in Ritu) utpote scandali plenam de mea Eparchia quantocius tollere, alias diutius has inconvenientias tolerare nullo pacto potero. Porro Rituale nullum ego formare volo, quod scilicet revisioni et approbationi S. Sedis subicere debeam, sed in toto Euchologium correctionis Romanae, quod nunc primum ad manus meas pervenit, assumere exopto ».⁴⁷

In alia epistula ad eandem Congregationem suam ideam ita exponit: « Itaque candide cogitationem meam aperio: Si Euchologium iussu felic. record. Benedicti XIV evulgatum, omni castigatione, ut ait idem S. Pontifex emendatum... (et cum) idem Euchologium certissimum ac Sanctissimum sit ac quam maxime optandum, ut etiam Rutheni illo uterentur, primae curae mihi erit, dictum Euchologium quam potero oculis, in linguam Sclavonicam ad verbum converti - (quod etiam Ill.mo Metropolitanus nostro per litteras significo atque hoc consilium illi quoque suggero) -, atque conversum revisioni Sanctae Sedis Apostolicae, an integra fide translatum sit, subdere ».⁴⁸

Impositio Euchologii Benedicti XIV pro usu Ecclesiae Ruthenae non solum maxime utilis, sed etim voluntati Sanctae Sedis Apostolicae consentanea est, quia sic innovationes et corruptelae in Ritu Rutheno, ex variis editionibus exortae, tandem eliminari possunt.⁴⁹ In epistula ad Metr. J. Smogorzewskyj Archiepiscopus Polocensis insistebat, ut Euchologium ruthenum cum Euchologio Benedicti XIV conforme tandem componetur,⁵⁰ non enim alio fine hoc Euchologium ad Episcopos ruthenos suo tempore transmissum fuerat, nisi ut etiam Euchologium ruthenum ad normam Euchologii Benedicti XIV corrigeretur.⁵¹

Ab introductione Euchologii Benedicti XIV Archiepiscopus Polocensis magnum emolumentum pro S. Unione expectabat. Secundum eius sententiam introductio Euchologii Benedicti XIV in Ecclesia Ruthena bonum esset remedium ad conciliandos Schismaticos et ad ipsam Unionem praeparandam: « Et quia hoc Euchologium aliunde scio in omnibus fere conforme esse Ritualibus, quibus hic in Russia non-Uniti utantur, unde praevideo sicut meum factum illis multum placere, ita a supra recognita nostri vexatione et populi ad se evocatione ex tunc ces-

⁴⁷ *Epist. ad S. Congr. Prop. Fide*, 22-II- 1786, ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 70, fol. 303v-304r.

⁴⁸ *Epist. ad S. Congr. Prop. Fide*, 28-XII-1786 — APF, *Scritt. Rif. Congr. Gener.*, vol. 876, fol. 355rv.

⁴⁹ IBID., fol. 355v: « Neque spero consilium meum Sanctae Sedi displicere, si monitum secundo modo laudati felic. record. Sapientissimi aequa ac Sanctissimi Pontificis sub finem dictae Encyclicae suae: « Vestrum, inquit, erit in posterum correcta hac Euchologii editione uti, ac diligenter curare, ut si nova aliqua eiusdem editio fiat, ea ad normam hujus omnibus numeris exigatur, quo interclusus sit aditus erroribus omnibus et absurdis, quae superioribus temporibus in alias quasdam editiones irrepserserunt eaque foedarunt ».

⁵⁰ *Epist. ad metr. J. Smogorzewskyj*, 8-II-1786, — ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 149, fol. 570.

⁵¹ IBID., fol. 568v.

sare, neque ab Unione ita abhorrere, a qua praecipue ista corruptela Ritus animos eorum alienos usque adhuc reddiderat ».⁵²

Ex dictis igitur patet, H. Lisowskyj in propugnando Euchologio Benedicti XIV motivo iuridico et unionistico ductum esse. In hoc enim Euchologio conspiciebat optimam solutionem complicatissimae «quaestionis liturgicae» in Ecclesia Ruthena et unicum remedium ad conciliandos Schismaticos. Ipse hoc suum desiderium et intentum classice enuntiat in epistula ad Metr. J. Smogorzewskyj, cum ope introductionis Euchologii Benedicti XIV nihil aliud intendere affirmet, nisi «ut relinquam non-Unitis id loquendum dumtaxat, quod Uniti differant ab iisdem oratione tantum pro Papa Romano et additione ad Symbolum «Filioque», non autem ut dicant de Nobis quod non simus nec Romani nec Graeci ».⁵³

⁵² *Epist. ad S. Congr. Prop. Fide*, 22-II-1786, — ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 70, fol. 304. Similiter scribit etiam in *Epist. ad eandem Congregationem die* 28-XII-1786: «Cum aliunde certum habeo, Ritualia, quibus nunc in tota Russia non-Uniti utuntur, ex Veneto Euchologio emendata cum praefato Euchologio Romano integrè convenire,... nihil verendum mihi puto, ne quod erroris, eorum in Sacra meae Ecclesiae inferam, si toties memorato Euchologio sicuti rectissimo et sanctissimo omnique castigatione emendato donec aliter mihi a Sancta Sede demandatum fuerit, salvis Synodi Zamosciana statutis utar, probe sciens et non-Unitis hoc esse gratum et Sanctae Sedi Apostolicae honorificum, maximamque ei laudem et existimationem, ut certo praevideo, apud omnes conciliaturum fore», APF, *Scritt. Rif. Congr. Gen.*, t. 876, fol. 355v-356r.

⁵³ *Epist. ad metr. Jos. Smogorzewskyj*, 8-II-1786, ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 149, fol. 570.

CAPUT VII.

De influxu Georgii Turkiewicz in reformationem liturgicam *H. Lisowskyj*

1. *De vita Georgii Turkiewicz.* - 2. *De ideis Georgii Turkiewicz, de eius habitudine erga corruptionem Ritus Rutheni.* - 3. *De influxu eius in opus Heraclii Lisowskyj.*

Iam in *Introductione* explicavimus, Archiepiscopum Polocensem non fuisse primum, qui de reformatione liturgiae ruthenae cogitavit, sed varios praecursores habuisse. In hoc capitulo accuratius investigabimus, unde nam H. Lisowskyj ideam reformationis hauserit vel saltem a quoniam stimulum inspirationemque ad opus suum sumpserit.

Cum variis ex documentis colligere possemus, quod sac. Georgius Turkiewicz ad opus Archiepiscopi Polocensis plurimum contribuit, de eius vita, persona relationeque ad H. Lisowskyj quaedam dicere certe non erit supervacaneum.

1. *De vita Georgii Turkiewicz tantummodo quaedam notitiae et insuper valde inexactae inveniri poterant.*¹

Georgius Grot-Turkiewicz probabiliter post annum 1720 in Podbereże, in Volinia, natus est. Formationem scholasticam accepit in scholis PP. Jesuitarum Luceoriae et Cremeneciae. Philosophia finita in seminarium dioecesis Luceoriensis transiit. Promotus ad Presbyteratum per aliquot annos munere Parochi fungebatur. Post mortem suae uxoris ab Episcopo Luceoriensi Silvestro Rudnyckyj (1752-1778) ad curiam episcopalem vocatus, suae eruditionis et talentorum causa magni aestimatus est ab eodem Episcopo, qui eum ad munus Archidiaconi et Judicis Surrogati Ostrogiensis promovit, in quo munere per annos permanxit.

Sed propter varias causas cum suo Episcopo dissensiones habuit² ideoque dioecesim Luceoriensem reliquit et breve tempus Varsaviae vixit. Anno 1776 ad monasterium Basilianorum Suprasliense sese contulit ibique aliquot tempus commoratus est. Hic studiis theologicis vacavit et tractatum de processione Spiritus S. compositum, quo inclinabatur ad Or-

¹ Praecipuus fons, ex quo notitiae de vita G. Turkiewicz desumimus, est brevis « *Informatio* », quae invenitur in ASV, NUNZ. POLONIAE, t. 344, ADD/III, fasc. 93 (non pag.) — inter folia, spectantia ad Ep. Luceoriensem St. Lewinski. Probabiliter provenit ex anno 1795.

² Secundum auctorem « *Informationis* » Turkiewicz « sine scitu sui Pastoris procurare sibi intentavit Episcopatum Ostrogiensem... variisque factis machinationibus afficit cor sui Pastoris »... ASV, NUNZ. POL., t. 344, ADD/III, fasc. 93.

thodoxorum sententiam, eamque etiam in colloquiis cum monachis firmiter defendebat ideoque monasterium relinquere debuit.

Annis 1779-1780 Turkiewicz iterum Ostrogiae appareret,³ anno vero 1780 vel 1781 ad dioecesim Metropolitanam Kioviensem transit.⁴ Post annum 1782 nominatus est a Metropolitanu J. Smogorzewskyj Visitator in regionibus Kaniv et Bila Cerkva, in quibus hoc tempore multi Uniti ad Ecclesiam Orthodoxam defecerunt.⁵

Sed etiam apud Metropolitanum non diu commoratus est, nam brevi tempore post Polonię reliquit et anno 1785 in ditionem Rossiae ad Archiepiscopum Polocensem H. Lisowskyj transiit.⁶ Ab Archiepiscopo ad munus Vicarii Generalis promotus usque ad annum 1791 in hoc munere permanxit.

Initio anni 1791 Turkiewicz ab Archiepiscopo in Polonię missus est, ibique usque ad mortem suam mansit. Primo per aliquot menses in curia Episcopi Chelmensis Porphyrii Ważynskyj vivebat, dein 1792 rursus ad dioecesim suaे originis, id est Luceoriam revertitur. Hic exceptus est ab Episcopo St. Lewinskyj, cuius commessalis usque ad annum 1795 extitit.⁷ Supremum diem obiit mense Novembri 1796 Ostrogiae.⁸

2. Georgius Turkiewicz fuit homo doctus et eruditus,⁹ sed eius ideae a suis contemporaneis parum orthodoxae esse videbantur, praesertim eius sententia de processione Spiritus S.¹⁰ Erat servens propagator unionis Ecclesiae dissidentis cum Ecclesia Catholica et ad hunc finem commercium cum Episcopo Mohiloviensi dissidente, Georgio Konyskyj, habuit.¹¹ Animatus idea Unionis putabat, unionem esse praeparandam removendo omnia obstacula et differentias inter utramque Ecclesiam in campo dogmatico reducendas esse «ad minimum». Nil igitur mirum, quod a suis contemporaneis nimiae propensionis et inclinationis ad Schis-

³ ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 146, fol. 666v et fol. 672. Hic habentur documenta ex anno 1779-1780, in quibus Turkiewicz subscriptus est tamquam Archidiaconus Ostrogiensis.

⁴ «*Informatio*», ASV, NUNZ. POL. t. 344, ADD/III, fasc. 93.

⁵ KOJALOVIĆ M.; *Istoriја возојединења западно-руских Унијатова старих времена*, S. Petersburg, 1873, pag. 260-261.

⁶ «*Informatio*», ASV, NUNZ. POL., t. 344, ADD/III, fasc. 93.

⁷ IBIDEM.

⁸ *Epist. Stephani Lewinskyj, Ep. Luceoriensis ad Ep. P. Ważynskyj* ASV, NUNZ. POLONIA, t. 344/III, fasc. 93.

⁹ Auctor «*Informationis*» laudat «indolem ac talenta» Georgii Turkiewicz, et Ep. P. Ważynskyj attestat: «Scio virum hunc ecclesiasticum disciplinis theologicis probe instructum» (*Epist. 20-III-1791 ad F. Saluzzo*, ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 149, fol. 450v).

¹⁰ «Scripsit folia de Processione Spiritus S. imitando scriptores Schismaticos.. De Processione Spiritus S. disputabat sententiam Schismatistarum firmiter tenens» («*Informatio*») ut supra. Similiter iudicat de Turkiewicz et ep. Ważynskyj, scil. eum «fovendis damnatis Schismatistarum erroribus induluisse plus aequo..., ut controversiam de Processione Spiritus S. a Patre et Filio Graecos inter et Latinos.., ad litem de voce amandandam esse iudicavit». (Cfr. supra citatam *Epist. 20-III-1791*, fol. 450v).

¹¹ Cfr. eius commercium epistulare cum Georgio Konyskyj de unione Ecclesiarum ex anno 1768 editum in «*Przeglad Poznanski*» (1863), t. I, pag. 424-433. Cfr. etiam LIKOWSKI E., *Dzieje...*, I, pag. 122-124.

ma accusabatur.¹² Inde fortasse vitam tam agitatam et turbulentam agere debebat.¹³

Nostra maxime interest habitudinem Georgii Turkiewicz ad quaestionem liturgicam et praecipue ad opus Heraclii Lisowskyj investigare.

Imprimis dicendum est, G. Turkiewicz fuisse magnum zelatorem pro puritate Ritus Rutheni conservanda. In documentis indicia adsunt, quod Turkiewicz in elaborandis decretis pro Synodo anno 1765 celebranda partem habuit.¹⁴ Alio ex documento scimus eum reformationis liturgicae fautorem fuisse. Documentum ex anno 1782-1783 provenit, cum G. Turkiewicz munere Visitatoris in Ukraina fungeretur, et est relatio eiusdem ad Metropolitanum J. Smogorzewskyj de statu Ecclesiae Ruthenae in Ukraina.¹⁵

In hac relatione Turkiewicz varias exponit causas et motiva, quae in Ukraina populum ad defectionem a S. Unione adducunt. Tamquam unicum vel saltem praecipuum huius defectionis motivum nominat *corruptionem Ritus Rutheni*. « Multum quaesivi, (scribit Turkiewicz), in his locis confinibus, cur rufus populus hic ad non-Unitos inclinaretur. - Unice propter antiquum in celebrandis sacris Ritum. Nam ad quaestionem (a me) propositam: « Eratne hic prius Unio an Orthodoxia », nullus ex agricolis respondebat, quod « orthodoxe credebatur », sed quod « orthodoxe celebrabatur ». Tempore Visitationis vetustiores agricultorae ad quaestionem: « quaenam hic Ecclesia erat », aut « quinam sacerdotes in eadem ministrabant », aut « a quoniam dependebant », saepe saepius respondebant: « Antea sacerdos noster pertinebat ad hoc (unitum) consistorium seu ad Metropolitanum eique emolumenta stolae reddebat, at tamen adhuc orthodoxe celebrat... » Egomet ipse, quando puer adhuc in Podbereze vivebam, meminiscor, quod, postquam editiones Missalium Unitorum primo in lucem prodierant, magnus rumor exortus est inter populum, praesertim autem inter cantatores (« djaky ») et apud simpliciores sacerdotes. Dicebant enim: « Ecce iam Unio publicata est ».¹⁶

In ulteriori suae relationis cursu Turkiewicz narrat, multos non solum ex populo, sed etiam ex sacerdotibus tum dissidentibus tum praesertim illis, qui recenter ad Schisma transierant, solummodo sub illa conditione ad S. Unionem redire paratos esse, si nempe antiquus Ritus Ruthenus inviolabiter servabitur. « Si igitur idem Ritus, (prosequitur Turkiewicz), a S. Sede Apostolica regnante felic. record. Papa Benedicto XIV confirmatus fuerit, uti hoc fuse in encyclica eiusdem felic. record. Benedicti XIV expositum est, quam ego prae manibus habeo, - ne scio, qualenam adhuc impedimentum esse posset, quominus hic Ritus

¹² Cfr. « Informationem » et iudicium ep. P. Ważynskyj supra citatum.

¹³ Ep. S. Lewinskyj in *Epist. 18-IV-1786 ad Metr. J. Smogorzewskyj* appellat eum « vagabundum », (cfr. AVAK, t. XVI, pag. 371)

¹⁴ Cfr. verba Ep. Lewinskyj in supra citata epistula ad Metr. J. Smogorzewskyj: « Ni fallor, etiam sac. Turkiewicz erat designatus... ad colligendas materias ante-synodales... » (AVAK, t. XVI, pag. 371).

¹⁵ Hanc relationem citat M. KOJALOVIĆ in opere: « Istorija vozsojeninenja... pag. 264-265. Documentum originale inveniebatur in *Archivio Metropolitanorum Unitorum*, lib. IV, N. 215.

¹⁶ M. KOJALOVIĆ, *op. cit.*, pag. 264.

reintegretur... Et si hoc factum erit, promptus sum vel animam meam in pignus ponere, quod omnes ad S. Unionem revertentur ».¹⁷

3. Si nunc haec Georgii Turkiewicz verba cum nonnullis Heraclii Lisowskyj epistulis comparamus, non solum similes ideas, sed etiam similem modum argumentandi et similes expressiones invenimus. Etiam H. Lisowskyj de scando rudis populi Ukrainae, proveniente ex corruptione antiqui Ritus conquerebatur necnon ad auctoritatem Benedicti XIV recurrebat.¹⁸

Adhuc maior similitudo tum in ideis tum in singulis expressionibus intercedit inter epistulas H. Lisowskyj et famosam «*Encyclicam*» anni 1795, quam G. Turkiewicz abusive sub nomine Archiepiscopi Polocensis publicavit.¹⁹ Haec similitudo vix casualis esse potest.

Hanc nostram suppositionem confirmant optime nonnulla testimonia externa. Sic citare possumus verba Nuntii Varsaviensis F. Saluzzo ex eius epistula ad ep. P. Ważynskyj: « Relatum habeo eum (id est: G. Turkiewicz) esse, qui Archiepiscopum, quo vult, dicit et in ejus jurare verbo ».²⁰ Ignotus vero auctor «*Informationis*» de G. Turkiewicz affirmit, quod « scripta omnia ab Archiepiscopo ad S. Congregationem de Propaganda missa, eius opere elaborata fuerunt ac ingenio, scripta, inquam, invidiosa in Ritum Graeco-Unitum ».²¹ Et loquens de «*Encyclica*» Georgii Turkiewicz sic exprimitur: « Facta collatione Encyclicae cum scriptis ac epistulis Ill.mi Archi Eppi Lisowskyj ad S. Congregationem in anno 1785 ac 1786, monstrabitur nihil novi in illa reperiri nisi similes accusationes in Ritum Unitum, quae omnia fuerunt partus dicti Georgii Turkiewicz ».²²

Ceterum ipse H. Lisowskyj saltem indirecte comprobat intimam Georgii Turkiewicz ad opus reformationis relationem. Turkiewicz enim erat eius collaborator eique opus traductionis Euchologii Benedicti XIV in linguam vetero-slavicam commisit.²³

Imo ex verbis Archiepiscopi comperimus, in quibusdam rebus inter G. Turkiewicz et H. Lisowskyj divergentias fuisse. Dum H. Lisowskyj pro retentione commemorationis Rom. Pontificis in Liturgia stabat,

¹⁷ IBID., pag. 264-265. KOJALOVIĆ laudibus extollit G. Turkiewicz propter eius bonas relationes cum Orthodoxis et propter eius zelum in reformando Ritu Rutheno, IBIDEM, pag. 265-267.

¹⁸ Haec similitudo maxime appareat in *Epistulis H. Lisowskyj* 22-II-1786 et 28-XII-1786 ad *S. Congnem Prop. Fide scriptis*.

¹⁹ Cfr. *caput I*, pag. 49-50.

²⁰ *Epist. 4-III-1791*, ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 87, fol. 220.

In epistula vero ad card. Praefectum Antonelli Saluzzo refert, se velle rogare ep. Ważynskyj, ut sententiam suam proferat de orthodoxia Georgii Turkiewicz, « alle insinuazioni del quale attribuiscono tutti i passi dati dall'Arcivescovo, che non sono sembrati sempre regolari », (*Epist. 2-III-1791*, ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 78, fol. 178).

²¹ ASV, NUNZ. POL., t. 344, ADD/III, fasc. 93.

²² IBIDEM.

²³ *Epist. H. Lisowskyj ad Nuntium F. Saluzzo*, 5-VII-1790, ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 149, fol. 636.

G. Turkiewicz Euchologium Benedicti XIV fideliter sequens in versione vetero-slavica illam omisit.²⁴

Porro G. Turkiewicz finita versione Euchologii quam primum illum typis edere curabat; propterea iter Moscoviam suscepit, ut hic Euchologium typis mandaret, attamen a S. Synodo Ecclesiae Rossiaceae facultatem imprimendi non obtinuit.²⁵ Idem Turkiewicz postea ab H. Lisowskyj cum versione Euchologii in Poloniam ad Nuntium Varsavensem missus est.²⁶

Ex dictis igitur satis clare appareat, intimum nexum inter G. Turkiewicz et opus reformatorum H. Lisowskyj fuisse. Turkiewicz sua eruditio et indeole apud Archiepiscopum Polocensem magno influxu gaudebat. Hic influxus non solum in quaestione liturgica manifestatur, sed etiam in idea Unionis Ecclesiarum, in ideis dogmaticis et in tota habitudine ad Ecclesiam dissidentem; sed in his omnibus, quia stricte ad nostrum thema non pertinent, non insistimus.

²⁴ « Jussus fuit a me fideliter hujus Euchologii traducendi olim meus in Spiritualibus Vicarius R. D. Turkiewicz, cui itidem injunxi, ut more Ecclesiae Ruthenae Unitae suis in locis dictae Liturgiae consuetam ac debitam apponeret commemorationem (Rom. Pontificis), verum tamen is ne vel unam litteram translationi affigeret suam, ut coram me hanc rationem reddebat » H. Lisowskyj ad Nuntium F. Saluzzo: *Epist.* 2-V-1791, ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 149, fol. 574.

²⁵ H. Lisowskyj « miserat Revdum Dnum Turkiewicz, presbyterum saecularem ex dioecesi Metropolitana advenam, causa imprimendi Euchologii Benedicti XIV ad urbem Mosquae, verum is hic commoratus rebus infectis rediit quandoquidem Synodus imprimendi facultatem dare renuit, sed impressos ibidem libros si voluerit comparandas proposuit » *P. Justus Krupicki OSM — Responsa ad artic. propos.* — ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 149, fol. 535v.

²⁶ *Epist. H. Lisowskyj* 24-XII-1790 ad Nuntium F. Saluzzo, ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 149, fol. 639.

P A R S S E C U N D A

In secunda nostri laboris parte de variis iudiciis et sententiis disserimus, quae de reformatione liturgica Heraclii Lisowskyj a diversis partibus prolata sunt. Hic igitur ostendetur, quid de reformatione liturgica Ecclesia Romana senserit - CAPUT I -, quomodo de reformatione in sinu Ecclesiae Ruthenae iudicatum fuerit - CAPUT II -, necnon quales fuerint hac in re opiniones variorum scriptorum et historiographorum temporis posterioris - CAPUT III -. Dein vero summarium totius laboris, conclusiones et iudicium complexivum de activitate et persona Heraclii Lisowskyj praesentamus - CAPUT IV -.

CAPUT I.

Sententia Romanae Ecclesiae de reformatione liturgica.

1. *Judicium Nuntii Varsaviensis Ferdinandi Saluzzo.* - 2. *Cardinalis L. Antonelli de reformatione liturgica opinio.* - 3. *Respona S. Congregationis de Propaganda Fide in causa reformationis*

Ex variis de reformatione liturgica opinionibus et sententiis sine dubio praecipuam nostram attentionem sententia S. Romanae Ecclesiae meretur. Est enim sententia auctoritativa et directiva, cui ita pondus speciale et valor obvenit.

Hanc sententiam clare enuntiatam in duabus Cogregationibus Generalibus Cardinalium S. Congregationis de Propaganda Fide, id est die 18 Junii 1787 et 23 Junii 1788 habemus. Sed ut haec sententia bene intelligatur, primo nobis exponentum est, quid de reformatione liturgica Nuntius Varsaviensis, F. Saluzzo, et Cardinalis Praefectus S. Congregationis de Propaganda Fide, L. Antonelli, iudicaverint. Hi enim Viri Ecclesiastici nomine et auctoritate S. Romanae Ecclesiae cum H. Lisowskyj de reformatione tractabant suisque relationibus ad decisiones Sedis Apostolicae contribuebant.

1. JUDICIUM NUNTII VARSAVIENSIS FERDINANDI SALUZZO.¹

F. Saluzzo, qui ex suo munere mediator erat inter Sedem Apostolicam et Hierarchiam ruthenam in regno Poloniae et Lithuaniae, debuit

¹ FERDINANDUS SALUZZO natus est die 20-XI-1744 Neapoli. Anno 1784 consecratus est Episcopus cum sede titulari Cartaginensi. Eodem anno missus est Nuntius Varsaviensis. In hoc munere decem annos permanxit (1784-1794). 23-II-1801 creatus est Cardinalis. Mortuus est Romae die 23-XI-1816. (Cfr. V. MEYSZTOWICZ, *De Archivio Nuntiaturae Varsaviensis*, Vaticani 1944, pagina 34-38).

etiam cum Heraclio Lisowskyj tractare, quia in imperio Rossiaco nullus aderat Nuntius vel Legatus stabilis S. Sedis Apostolicae.

Peculiare momentum commercii epistularis Nuntii Saluzzo in rebus reformationis in hoc consistit, quod varias notitias, informationes et relationes de persona et postulatis Archiepiscopi Polocensis colligebat Romamque mittebat. Quae informationes interdum inexactae et exageratae erant, ideoque facile intelligitur, cur F. Saluzzo in suis epistulis severius, quam par erat, de H. Lisowskyj iudicaverit. Saluzzo in genere erga Archiepiscopum Polocensem nimias suspiciones colebat,² quas ipse interdum tamquam sine fundamento vel exageratas agnoscere debebat.³ Praeterea eius modus scribendi saepe ansam offensionis dabat.⁴

Quod ipsam reformationem liturgicam spectat, F. Saluzzo maxime *in eiusdem incommodis et periculis* insistebat et varia motiva et argumenta H. Lisowskyj exponebat, quibus ei, ut a proposito suo desistere, persuadere conabatur.

Primum huiusmodi incommodum est, quod *reformatio liturgica pro bono Ecclesiae parum utilis* fore videtur. In epistula ad H. Lisowskyj die 16-VIII-1786 data Saluzzo eum ita admonebat: « Unum illud rogo, quod jam antea meis etiam litteris significaveram, ut Dominatio Vestra diligenter velit expendere: tantine illud sit, quod in recepta Rituum consuetudine mutare cogitat, ut adiri periculum debeat, ne gravius inde incommodum manet, quam illud sit, quod ex hujusmodi mutatione sperare liceat ».⁵ In alia vero epistula rogat eundem Archiepiscopum, ut sedulo expendat, « utrum quae vult in Sacris Ritibus ab antiquo more detorta corrigere, unitati Ecclesiae Catholicae et populi aedificationi profutura sint magis an obfutura ».⁶

Saluzzo ipse urgentem reformationis necessitatem agnoscere non videtur, nam « quemadmodum in Occidente, ita in Oriente levia quae-dam occurrunt discrimina, quae salva Ritus communis substantia alia aliis Ecclesiis peculiaria sunt ».⁷ Et « in Ecclesiae latinae caeremoniis nonnulla sunt, quae salva Ritus substantia alia in aliis Ecclesiis aut alter peraguntur, idem quoque in Ecclesia Orientali contingere. Unius enim eiusdem Ritus habentur Rutheni, Graeci, Armeni, Syri, et in eorum tamen liturgiis nonnulla sunt quamvis pauca et exigua discrimina, quae Ritus substantiam non attingunt ».⁸

Reformatio liturgica est porro « res ut per se patet, plena periculis tamquam novitatem inducens ».⁹ Maximum vero periculum et incommo-

² Suspiciebat enim eum nimiae propensionis versus Schismaticos, defectus debiti cultus et observantiae erga S. Sedem Apostolicam (Cfr. ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 78, fol. 555; t. 86, fol. 142; t. 87, fol. 244).

³ Epist. ad Antonelli 28-III-1787, ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 78, fol. 79v.

⁴ Cfr. Epist. ad Lisowskyj 16-VIII-1786, (ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 86, fol. 177), in qua citans verba S. Scripturae Heraclium Lisowskyj cum phariseis comparavit.

⁵ ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 86, fol. 176v.

⁶ Epist. 14-IV-1787, ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 86, fol. 234v.

⁷ Epist. 13-V-1786, ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 149, fol. 141.

⁸ Epist. 16-VIII-1786, ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 86, fol. 176v.

⁹ Epist. ad Wažynskyj, 5-VII-1786, ASV, IBID., fol. 163v.

dum reformationis est *vis contrariae consuetudinis*: « Magna est vis consuetudinis in his praesertim, quibus religio et pietas exercentur, et in usu populi quotidiano versantur, nihil fere ut in eis sine magna hominum offensione aliquando fuerit innovatum. In hanc autem incurriere locumque jurgis ac dissensionibus patefacere ob eam tantummodo causam, ut in re non necessaria antiquorem Ritum utcunq; magis laudabilem recentiori quidem ut non vitioso tamen ac reprehendendo substituamus, idem esset profecto atque id, quod est in Evangelio: « decimare mentam et anetum relinquentes quae graviora sunt Legis ».¹⁰

Super omnia Saluzzo Archiepiscopum Polocensem monebat, ne ex eius opere aliquod scandalum pro Ecclesia eveniret. Necessa est enim, ut H. Lisowskyj « in hoc toto negotio unitatis Catholicae, communisque Ecclesiae aedificationis curam potissimum sibi esse oportere meminierit »,¹¹ nam « quae ad fidelium aedificationem et ad Christi charitatis vinculum pertinent, multo accuratius tuenda esse, quam quae salva Religione aliter in aliis locis prout exigunt temporum circumstantiae, variari possunt ».¹² Secus verendum esset, ne propter aliquem passum incautum « non in Latinorum tantummodo, sed in Graecorum quoque Ruthenorum, qui cum Latinis communicant, offensionem » incurreret.¹³

Correctio caeremoniarum Ritus Rutheni ad normam antiqui Ritus, apud non-Unitos fideliter conservati, *summam secum fert inconvenientiam*: « Sunt enim nonnulli, qui, ne quod inde oriatur scandalum, metuunt, neve in eam opinionem veniant imperiti, ut fidei depositum judicent apud eos melius, qui a nobis dissident custodiri, quando eos Dominatio Vestra melius quam Graecos Unidos pietatis cultum existimat exercere. Id si ita esset, aliquid certe praestaret concedere quamvis non optimae consuetudini, quam ad exactam antiquitatis regulam leviora ista, in quibus sita non est Sacramentorum substantia, corrigere ».¹⁴

Ex hac potissimum ratione Saluzzo favebat observationi omnium innovationum in Ritu, quae in Synodo Zamostensi factae erant. Nemini enim ex Episcopis Ruthenis licet inconsulta S. Sede Apostolica « retractare Synodus Zamoscianam, quaeque in ea de sacris ritibus statuta sunt, mutare aut invertere ».¹⁵ Saluzzo fatetur, se revocasse in mentem Archiepiscopi Polocensis statuta illius Synodi, ne idem existimaret, se non esse ex toto obligatum statuta eiusdem Synodi observare.¹⁶

Attamen Saluzzo non omnem reformationem respuebat. Agnoscebat enim utilitatem uniformitatis in sacris Ritus Rutheni celebrandis et simul quaerebat remedium, quo huic optime provideri posset. Ad P. Ważynskyj scribebat: « fateor quidem disformitatem istam in Sacra Vestra Liturgia non bene se habere, proindeque excogitanda ratio esset, qua disformitate depulsa una esset omnibus sacrarum caeremoniarum ob-

¹⁰ *Epist.* 16-VIII-1786, ASV, IBID., fol. 176v-177r.

¹¹ *Epist.* 16-VIII-1786, ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 86, fol. 177.

¹² *Epist.* 14-IV-1787, ASV, IBID., fol. 234rv.

¹³ *Epist.* 13-V-1786, ASV, IBID., fol. 141v.

¹⁴ *Epist.* 14-IV-1787, ASV, IBID., fol. 234v.

¹⁵ *Epist.* 13-V-1786, ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 86, fol. 141v.

¹⁶ *Epist.* ad Antonelli 17-V-1786, ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 78, fol. 55rv.

servantia ».¹⁷ Similiter etiam scribebat in epistula ad Metr. J. Smogorzewskyj: « Ut enim ingenue fatear, quod sentio, non videtur sane Unitati satis convenire ea caeremoniarum difformitas, quam in Vestra Lithurgia unusquisque cervicose sibi constituit. Excogitanda profecto ratio foret, qua una omnibus nostris Unitis Ecclesiis Lithurgia unumque omnibus esset Euchologium ».¹⁸

Optimum ad tollendam diversitatem et confusionem in liturgia ruthena remedium foret secundum Saluzzo introductio Euchologii graeci iussu Benedicti XIV editi.¹⁹ Ad hoc Euchologium alludens scribebat ad Metr. J. Smogorzewskyj: « Nonne opportunum videretur illud (Euchologium) ad tantam in Vestra Ecclesia difformitatem depellendam? »^{19a} Sed Saluzzo non dicit, quomodo hoc Euchologium cum statutis Synodi Zamostiensis et aliis peculiaribus in liturgia ruthena vigentibus ritibus sit conformandum. Immo in epistula ad Cardinalem Antonelli fattetur multos ex clero rutheno huic Euchologio contrarios esse.²⁰

Quoad Festorum reductionem Saluzzo existimabat, non esse convenientem suppressionem Festorum Corporis Domini et B. Josaphat, quibus Uniti a non-Unitis distinguuntur.²¹

Notandum est etiam, Saluzzo opinionis fuisse, si iam quidquid sive in sacris ritibus sive in Festis observandis reformandum esset, hoc non in sola dioecesi Polocensi peragi, sed ad totam Ecclesiam Ruthenam extendi debere.²²

2. CARDINALIS L. ANTONELLI DE REFORMATIONE LITURGICA OPINIO.

Suam in causa reformationis mentem Cardinalis Antonelli in variis epistulis tum ad H. Lisowskyj, tum ad Meropolitanum J. Smogorzewskyj, tum denique ad Nuntium F. Saluzzo exponebat.²³

¹⁷ *Epist. ad Ważynskij*, 5-VIII-1786, ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 86, fol. 164.

¹⁸ *Epist. ad Smogorzewskyj*, 4-VIII-1786, ASV, ibid., fol. 163.

¹⁹ « A me parrebbe, che la più spedita via e la più sicura di terminar questo affare sarebbe quello di indurre tutti uniformemente i Ruteni ad abbracciar l'Eucologio Romano, il quale merita di essere ad ogni altro preferito » (*Epist. ad Antonelli* 28-6-1786, ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 78, fol. 62v).

²⁰ *Epist. 4-VIII-1786*, ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 86, fol. 163.

²¹ « Io non so vedere alcun inconveniente, se si accordasse a quella Chiesa l'Eucologio di Benedetto XIV... Io non lascio di insinuare questo Eucologio Benedettino, ancor qui ne ho incontrato opposizioni presso quelli, con cui ne ho parlato » (*Epist. ad Antonelli* 30-I-1788, ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 78, fol. 104-105).

²² « La festa del Corpo Domini e di S. Giosafat, che distinguono l'Unione, non mi possono poter cadere sotto la soppressione » (*Epist. ad Antonelli* 30-I-1788, ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 78, fol. 104v).

²³ « Non dubito, che lo zelo della S. Congregazione si estenda su tutta la chiesa Rutena procurando l'esecuzione di quanto fu providamente nel sinodo (Zamosciano) stabilito; ne vorrà permettere, che si abbiano a vedere delle mutazioni nella sola Dioecesi di Polosko con rincrescimento di tutti gli altri Greci Uniti » (*Epist. ad Antonelli* 8-VI-1785, ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 78, fol. 17).

²⁴ LEONARDO ANTONELLI erat neos famosi Nicolai Antonelli (1698-1767) Cardinalis, historici, canonistae et Orientalistae. Natus est anno 1730, diem supremum obiit anno 1811. Anno 1775 creatus est Cardinalis et 1780 nominatus est Praefectus S. Congregationis de Prop. Fide et Con-

In primis epistulis (ex anno 1785) desideratur adhuc aliquod iudicium de postulatis Archiepiscopi Polocensis, quia ille nondum clare et singillatim, quae in liturgia ruthena essent reformanda, indicaverat. Sic igitur Antonelli primo solum in hoc insistebat, non esse morem S. Sedis Apostolicae generalem facultatem caeremonias aut Festa reformandi singulis episcopis concedere.²⁴

Attamen iam ipsa petitio Archiepiscopi Polocensis in re tam gravi et magna Cardinali quendam timorem incussit. Modus agendi Archiepiscopi ei nimis aequivocus videbatur. Eum enim suspiciebat de nimia indulgentia erga aulam Petropolitanam et de defectu firmitatis in S. Unione.²⁵ Maxime vero anxium reddebat Cardinalem incertitudo, ex quoniam motivo Archiepiscopus reformationem liturgicam urgeret. Timebat enim, ne hoc faceret permotus inclinatione ad Schismaticos vel adulazione erga Gubernium Rossiacum cum damno S. Unionis.²⁶ Quam ob rem Nuntio F. Saluzzo consilium suggerebat, ut vel per se vel per aliquem docum Basilianum Archiepiscopum admoneret.²⁷

Magnum momentum pro mente Cardinalis Antonelli in causa reformationis cognoscenda est eius epistula ad Heraclium Lisowskyj 29 Iulii 1786,²⁸ cuius argumentum hic referimus.

Cardinalis libenter concedit, facile intelligi posse, quosdam abusus in ritus ac caeremonias Ecclesiae Ruthenae labente tempore irrepsisse. Sed ex hac nequaquam sequi, quod omnes illae caeremoniae abrogandae sunt, quae nonnihil ab Euchologio Benedicti XIV iussu promulgato discrepare videntur. Nam Euchologii substantia nullo modo mutatur, si justis de causis interdum levis caeremoniarum immutatio peracta fuit aut aliquius ritus proprii additamentum accessit. Neque enim in Ritu Latino perfecta datur ubique caeremoniarum uniformitas.

Innovations igitur in liturgia, cum propter varias temporum circumstantias introductae sint, potius tolerandae et nonnisi maxima cum prudentia et circumspectione emendandae sunt. Sunt enim inter illas, quae ad fidem confirmandam vel ad errores evellendos maxime inserviunt.²⁹

gregationis pro correctione librorum Ecclesiae Orientalis. (Cfr. ENCYCLOPEDIA CATTOLICA, I, (1948, Città del Vaticano), pag. 1517-1518; et MORONI, *Dizionario di erudizione storico-ecclesiastica*, vol. I-II, (Venezia 1840), pag. 217).

²⁴ *Epist. ad H. Lisowskyj* 14-V-1785, ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 70, fol. 201v.

²⁵ « L'Arcivescovo ruteno di Polosko mi fa tremare. Tutte le novità del rito, che tenta egli d'introdurre, mi mettono in qualche sospetto o di una sua indifferenza nell'attaccamento alla S. Unione, o di una condiscendenza troppo facile alla corte di cui dipende » (*Epist. ad Saluzzo* 7-I-1786, ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 70, fol. 263).

²⁶ « E sommamente importante di sapere come egli (Lisowskyj) si porta. Se mai per adulazione e convivenza verso il Governo Russo o per propria inclinazione piegasse egli un poco a favore di disuniti, corriamo il pericolo di perdere tutta la nostra Diocesi di Polosko » (*Epist. ad Saluzzo*, 16-III-1786, ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 70, fol. 286).

²⁷ *Epist. ad Saluzzo* 7-I-1786, ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 70, fol. 263v.

²⁸ ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 149, fol. 544-545v.

²⁹ « Oportuit enim vero hujusmodi mutationibus indulgere, quod cum in componenda atque ordinanda disciplina debeat Ecclesia temporum circumstantiae, virorum indolis, ac vitiorum emendationis rationem habere, prudentissimae eius et oeconomiae non modo tolerare, sed etiam permettere nonnullorum rituum mutationem; qui propter malum eorum usum amplius convenire non videantur aut aliorum additionem approbare, qui vel ad fidem confirmandam vel ad errores evellendos maxime conducunt » (ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 149, fol. 544v).

Cavendum est praesertim, ne ex arbitrio uniuscuiusque Episcopi caeremoniae reformatum, eo enim modo existens caeremoniarum diversitas adhuc augeretur et facile etiam iis caeremoniis derogari posset, quae legitima auctoritate et diuturna consuetudine in Ecclesia Ruthena vigent et veluti tesseram quandam coniunctionis eiusdem Ecclesiae cum Ecclesia Romana praebent. Providendum quidem est, ne rejectis antiquis totius Ecclesiae Graecae caeremoniis in odium et offenditionem Schismaticorum incurratur, sed alia ex parte non omnia, quae illi respuunt, a Catholicis quoque reicienda sunt.³⁰

Quapropter in hoc tanti momenti negotio necessarium est, ut caute et mature procedatur, et ut tum Metropolitani totius Russiae tum ceterorum Episcoporum necnon hominum peritorum sententiae exquirantur. Tunc etiam S. Sedes Apostolica his, quae in disciplina liturgica Ecclesiae Ruthenae reformanda sunt, libenter supra sua auctoritate providebit.³¹

In posterioribus epistulis Cardinalis Antonelli suam sententiam in causa reformationis in nonnullis punctis adhuc pressius enuntiat et evolvit. Insistit in hoc, quod S. Sedes Apostolica semper pro conservatione Rituum Orientalium ac eorum fidei observatione laboravisset.³² Alia vero occasione laudando desiderium Archiepiscopi Polocensis vertendi Euchologium graecum Benedicti XIV in linguam veteroslavicam iterum eundem monere non omittit, ne omnes innovationes liturgiae ruthenae pro abusibus consideret.³³ Nam praeter commemorationem Romani Pontificis in sacris celebrandis et praeter additamentum « Filioque » in Symbolo fidei « nullo modo contemnendae aut abrogandae sunt illae consuetudines ac Rituum immutations, quas Synodus Zamosciana Apostolicae Sedis auctoritate confirmata ad majorem Catholicae Fidei atque Unionis declarationem invexit ».³⁴

Et prosequendo in eodem argumento Cardinalis sic exclamat: « Quid enim? Num Missarum lectorum usus, plurium Altarium erectio, vetita aquae tepidae in S. Calicem immixtio ac demum caeterae Ecclesiasticae Lithurgiae varietates, quaeque ab eodem Concilio sancitae sunt, atque ab omnibus Ecclesiasticis Ruthenis Episcoporum consensu admisae de medio tolli atque abrogari debent, quia vel apud non-Unitos non sunt receptae, vel cum Euchologii ritibus non plane convenientiunt? »³⁵ Si

³⁰ « Providendum quidem est, ne in Schismaticorum odium et offenditionem incurramus, si eas caeremonias reicimus, quae veterum Patrum usu et totius Ecclesiae Graecae consensione comprobatae sunt, at non ita leniter ac remisse cum illis agendum est, ut quidquid ipsi respuunt, nos quoque abiicere deheamus... Nam quemadmodum laetandum nobis est, quod ab illis Fidei societate disjungimur, ita nihil verendum, quod in quibusdam disciplinae capitibus diversa sectemur ». (IBID., fol. 545).

³¹ IBID., fol. 545v.

³² *Epist. ad H. Lisowskyj* 29-IX-1787, ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 71, fol. 28.

³³ « Iterum monemus etiam, ne omnes immutations, quae in S. Lithurgia multis abhinc annis a Ruthenis sunt facta, abusuum nomine traducas » (*Epist.* 23-VIII-1788, ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 149, fol. 123v.).

³⁴ IBID.

³⁵ IBID., fol. 123v.

enim omnes illae innovationes reformari deberent, triste daretur testimonium, Ecclesiam Ruthenam has caeremonias observando infeliciter erravisse et a suis propriis Episcopis deceptam fuisse.³⁶ Illae igitur tantummodo caeremoniae eliminandae erunt, quae privatorum oscitania et imperitia in Ritum Ruthenum irrepserunt.³⁷

Ut vero optata ab omnibus caeremoniarum constantia et aequalitas magis obtineretur, suggerebat Cardinalis Antonelli consilium, ut praeter Euchologii Benedicti XIV versionem Codex liturgicus conficeretur, in quo integer Missae lectae Ordo contineretur, ne sacerdotes in Sacris celebrandis multis libris sese instruere deberent.³⁸ Sed etiam hac in re necesse est, ut omnia cum consensu Episcoporum et praesertim Metropolitani componerentur.³⁹

Quoad Festorum reductionem Antonelli hoc ducebatur principio, ut « potius leges Synodi totius Nationis Ruthenae Catholicae retineantur, quam usus et consuetudines non-Unitorum ».⁴⁰ Aliis verbis non admisit principium Archiepiscopi Polocensis secundum quod Ecclesia Ruthena in Festis observandis ad proxim non-Unitorum conformari debeat. Ideoque duo Festa: Corporis Domini et B. Josaphat non solum retinenda esse putabat, sed neque in proximam Dominicam, ut H. Lisowskyj proponebat, transferenda.⁴¹

Antonelli igitur sicut F. Saluzzo, sinceram voluntatem habuit, ut in Ecclesia Ruthena ope reformationis uniformis tandem obtineretur disciplina liturgica et ad huiusmodi scopum Euchologium Benedicti XIV pro norma valere debere existimabat.⁴² Ex altera tamen parte firmiter tenebat, non esse recedendum ab innovationibus in Synodo Zamostiensi factis.⁴³ Nolebat enim, ut in reformatione liturgica pro criterio praxis non-Unitorum pree oculis haberetur, et ut ad restituendam hanc proxim

³⁶ « Hinc enim vero... suspicio exoriri posset, tot annorum decursu, quo in Ruthenis Ecclesiis hujusmodi ritus obtinuerunt, Nationem Ruthenam infeliciter errasse ac ab ipsomet Episcoporum suorum coetu fuisse deceptam » (IBID., fol. 123v).

³⁷ IBID., Cfr. etiam *Epist. ad J. Smogorzewskyj*, 23-VIII-1788, ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 149, fol. 122.

³⁸ « Aptissimum in hanc rem esset, si praeter Euchologium Codex Liturgicus conficiatur, ubi integer Ordo pro Missis retinendus describatur, ne Sacerdotes Graeci pro Sacro celebrando pluribus libris uti debeant, utque optanda Sacrorum Rituum uniformitas deinceps facilius consultatur » (IBID., fol. 122rv. Cfr. etiam *Epist. ad H. Lisowskyj* 23-VIII-1788, ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 149, fol. 124).

³⁹ IBID., fol. 124.

⁴⁰ IBID., fol. 124.

⁴¹ IBID., fol. 124rv.

⁴² « Troverei anche vantaggio, che si venisse una volta a fissare i libri liturgici della Nazione e darle alle stampe e specialmente questo dell'Eucologio di Benedetto XIV ad effetto di toglier così ogni confusione e cambiamento » (*Epist. ad Saluzzo* 17-VII-1789, ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 71, fol. 124v).

⁴³ « Convenientissimum... esse, ut singulae immutations atque ab Euchologio diversi Ritus, quos Zamosciensis Synodus statuit, omnino refineantur » (*Epist. ad J. Smogorzewskyj* 23-VIII-1788, ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 149, fol. 122).

tamquam ad suum effectum et scopum tota tenderet reformatio.⁴⁴ Antonelli enim timebat, ne per huiusmodi indulgentiam erga Schismaticos auctoritas Ecclesiae Ruthenae in oculis non-Unitorum in discrimen vocaretur.

3. RESPONSA S. CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE IN CAUSA REFORMATIONIS.

Cognita sententia tum Nuntii F. Saluzzo tum Cardinalis Praefecti L. Antonelli examinanda sunt nobis responsa S. Congregationis de Propaganda Fide in causa reformationis liturgicae.

Duo habentur huiusmodi responsa, quorum alterum correctionem caeremoniarum (18-VI-1787), alterum vero reductionem Festorum (23-VI-1788) respicit.

a) Responsum in causa correctionis caeremoniarum datum est die 18 Junii 1787 in Congregatione Generali Cardinalium S. Congregationis de Propaganda Fide. In hac Congregatione epistula Archiepiscopi Polocensis 28-XII-1786 a Cardinali G. C. Boschi relata est.⁴⁵ Haec relatio est sat ampla et accurata, cum variis adnexis notis.⁴⁶ In fine relationis Cardinalibus hoc propositum est ad resolvendum dubium:

« Quid providendum est, ut tollantur abusus in Liturgia Ecclesiae Graeco-Catholicae introducti, et utrum propositum Archiepiscopi approbandum sit ».⁴⁷

Ad propositum dubium Cardinales congregati ita responderunt:

« Insistendum est executioni Decretorum Synodi Zamosciensis: — collatis consiliis et studiis cum Metropolitano, caeterisque Praesulibus Unionis: — habito praesertim p[re]e oculis Euchologio a Sede Apostolica approbato eiusque jussu edito: — salvis tamen mutationibus inter Ruthenos Unitos communiter inductis ad majorem Catholicae Fidei et Unitatis protestationem. — Interim vero donec prodeat hujusmodi Rituale ad mentem praefatae Synodi abstineat Archiepiscopus a quacumque innovatione, et praesertim ab introducendo usu Ritualis, quo utuntur non-Uniti ».⁴⁸

⁴⁴ « Mi dispiace, ch'egli (Lisowskyj) solo voglia avvicinarsi ai disuniti, senza che questi vogliano fare un passo per approssimarsi a noi. Noi soli dobbiamo essere tolleranti, i condiscendenti, noi dobbiamo abbassarsi, credere, soffrire! ed i disuniti? Nulla » (*Epist. ad Saluzzo* 28-IV-1787, APF, *Scritt. Rifer. Congr. Mosc. Polon. Ruteni*, t. 16, fol. 163).

⁴⁵ Giovanni Carlo Boschi (1715-1788) natus est in Faenza. Erat Secretarius Memorialium Papae Benedicti XIV et Camerarius P. Clementis XII. Cardinalis creatus est anno 1766. Erat Praefectus Congregationis pro Correctione librorum Ecclesiae Orientalis et participabat in aliis Congregationibus. Eminebat doctrina et zelo. Mortuus est Romae 6-IX-1788. Cfr. MORONI, *Dizionario di erudizione storico-Ecclesiastica*, vol. VI, (Venezia 1840), pag. 64.

⁴⁶ APF, *Scritt. Rifer. Congr. Gener.*, t. 876, fol. 326-350v. (*Ruteni-Polosko*, 18 Junii 1787, *Ristretto: Relatio Emmi Boschi*) Card. Boschi refert hic argumentum epistulae Heraclii Lisowskyj ex die 28-XII-1786. In adnexis notis agitur de dismembratione dioeceseos Polocensis (nota 1 et 5), de correctione caeremoniarum (nota 2 et 3) et de reductione Festorum (nota 4).

⁴⁷ « Quali providenze si abbiano a prendere per togliere gli abusi introdotti nella Liturgia della Chiesa Greco-Cattolica, e se debbasi approvare il progetto di Monsignor Arcivescovo » (APF, *Ibid.*, fol. 336v).

⁴⁸ APF, *Scritt. Rifer. Congr. Gener.*, t. 876, fol. 350.

Hoc responsum, ut vidimus, facile in quinque distinctas partes dividi potest, quas unam post alteram breviter examinabimus.

I. Imprimis S. Congregatio praecipit: « *Insistendum est executioni Decretorum Synodi Zamosciensis* ». Hisce verbis ante omnia urget Sacra Congregatio statutum Synodi Zamostiensis circa editionem librorum liturgicorum a Metropolitano pro tota Ecclesia Ruthena conficiendam.⁴⁹ Hoc patet non solum ex ulteriori verborum contextu, sed etiam ex nota Cardinalis G. C. Boschi, qui in sua relatione ad hoc Synodi statutum expresse provocat.⁵⁰

Sed in hoc primo inciso sermo est de « *decretis* » Synodi Zamostiensis in genere, id est: S. Congregatio agnoscit et iterum confirmat statuta illius Synodi in rebus liturgicis et in eorum executione insistit. Quibus verbis S. Congregatio contra Archiepiscopum Polocensem, qui directe aut saltem indirecte illa statuta invertere aut modificare studebat, obligatoriam vim statutorum Synodi expresse declaravit.⁵¹

II. In secunda responsi parte S. Congregatio praecipit, ut opus novum Rituale componendi fiat cum collaboratione totius Hierarchiae ruthenae (« *collatis consiliis et studiis cum Metropolitano caeterisque Praesulibus Unionis* »). S. Congregatio hoc modo quamcumque reformatiōnem liturgicam privatam, partiale, et localem excludit, id est reformatiōnem ab uno solo Episcopo, aut in una tantum Ecclesiae Ruthenae provincia, — sed curam de componenda disciplina liturgica toti Hierarchiae ruthenae committit.

Quae decisio, ut patet, dirigitur contra H. Lisowskyj, qui primario de reformatiōne in sua dioecesi sine respectu ad alias dioeceses cogitabat.

III. In ulteriori responsi parte sermo est de norma, secundum quam novum Rituale componi debet. S. Congregatio sententiae Archiepiscopi Polocensis annuendo praecipit, ut in novo Rituali componendo p̄ae oculis Euchologium Benedicti XIV habeatur. Caeterum eandem sententiam hac in re tenebat Nuntius F. Saluzzo, Cardinalis L. Antonelli necnon Cardinalis G. C. Boschi, qui in sua relatione desiderium expressit,

⁴⁹ Cfr. statutum huius Synodi, Tit. III, *De Sacramentis*, SPRZ, pag. 61-62, et Tit. I, IBID., pag. 58.

⁵⁰ APF, *Scritt. Rifer. Congr. Gener.*, t. 876, fol. 340v.

⁵¹ S. Congregatio nihil de clausula confirmationis Synodi Zamostiensis loquitur, sed in relatione Cardinalis Boschi fit illius clausulae expressa mentio: « Infatti non v'ha dubbio, che il S. nodo Provinciale tenuto da Ruteni Uniti nella città di Zamoscia l'anno 1720 abbia co' suoi Decreti o tolti, o riformati diversi Riti, benchè vigenti presso i Greci; eppure non ostante una tale abolizione e riforma il detto S. nodo fu confermato dalla S. M. di Benedetto XIII con suo Breve de' 19 luglio 1724 *colla clausola peraltro*: Ita tamen etc... » (APF, ut supra, fol. 340). Ritus, ad quos hic Card. Boschi alludit, alii sunt a Synodo Zamostensi abrogati alii vero reformati vel introducti. Huc pertinent: 1. Additio ad Symbolum Fidei particulae « Filioque »; 2. Commemoratio Summi Pontificis; 3. abrogatio aquae calidae ante Communione admiscendae; 4. abrogatio usus spongiae; 5. praescriptum, ut in Proskomidia aqua cum vino a solo sacerdote commisceatur; 6. Praescriptum de consecrandis particulis panis in Proskomidia extractis; 7. Prohibitio S. Communionis pro neo-baptisatis et infantibus; 8. Commendatio Missae lectae; 9. Prohibitio imbuendi Divino Sanguine consecratas hostias; 10. Abrogatio triplicis « *Amen* » in forma baptismi; 11. Praescriptum de componendo et adhibendo novo Extremae Unctionis ritu.

ut ad normam Euchologii Benedicti XIV etiam libri liturgici rutheni corrigerentur.⁵²

IV. Posito Euchologio Benedicti XIV pro norma generali S. Congregatio optat ulterius, ut refineantur omnes mutationes in liturgia ruthe-na « communiter ad majorem Fidei Catholicae et Unitatis protestationem » inductae.⁵³

Haec clausula in toto responso maximi est momenti, quia enuntiat principium S. Congregationis in causa mutationum liturgicarum. S. Congregatio non omnes mutationes in liturgia ruthena condemnat, imo opportunum censet, ut conserventur omnes illae mutationes ex motivis pastoralibus introductae. Hic evidenter comprehenduntur: commemoratio Romani Pontificis et additamentum « Filioque ». Sed haec clausula satis generalis et larga est, ut in illa etiam aliae mutationes comprehendi possint.

Motivum clausulae erat sine dubio sollicitudo S. Congregationis, ne per totalem redditum ad antiquam praxim liturgicam, quae conservata erat apud Schismaticos, impressio daretur, Unidos se ad praxim non-Unitorum conformare. Talem agendi modum S. Congregatio (sicuti F. Saluzzo et Cardinalis L. Antonelli et denique Cardinalis G. C. Boschi) maxime inconvenientem et periculosum iudicabat.⁵⁴

Appositio clausulae etiam sub hoc respectu suum momentum habet, quod Ritum Ruthenum tamquam Ritum distinctum et proprium in ambitu et familia communis Ritus Byzantini agnovit.

V. Ultimum responsi incisum est nonnisi corollarium ex praecedentibus. S. Congregatio hic prohibet, quominus Archiepiscopus Polocensis propria marte innovations liturgicas reformaret, vel Rituale non-Unitorum adhiberet. Ratio prioris prohibitionis in hoc stare videtur, quod compertum erat S. Congregationi, Archiepiscopum Polocensem iam nonnulla in sua dioecesi reformare coepisse, ratio vero ultimae prohibitionis per se intelligitur. Nam S. Congregatio, quae in reformatis ritibus praxim non-Unitorum pro norma et regula agnoscere renuit, eo minus

⁵² « Sarebbe ora desiderabile, che a norma di questa edizione con tanto studio e fatica corretta e ripurgata dagli errori... se ne correggesse la revisione in lingua Rutena per uso delle Chiese Unite di Russia, di Polonia, e di Lituania » (*Relatio...* APF, ut supra, fol. 339v-340).

⁵³ Hic S. Congregatio repetit quasi ad verbum id, quod Cardinalis *Antonelli* iam in *Epistula* 29-VII-1786 Heraclio Lisowskyj inculcaba (ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 149, fol. 544v). Eadem erat etiam sententia *Cardinalis G. C. Boschi*: *Disciplina liturgica* apud Ruthenos debet conformari ad normam Euchologii Benedicti XIV, attamen « in maniera rapporto alla Nazione de' Ruteni uniti da lasciarvisi quelle mutazioni e addizioni, le quali, secondo le circostanze, e varietà de' tempi sonosi introdotte presso la medesima, o in conferma e segnale dell'unione colla S. Sede, o in detestazione degli errori, che professano gli scismatici dello stesso Rito » (APF, *Scritt. Rif. Congr. Gener.*, t. 876, fol. 340).

⁵⁴ « Non si sa comprendere come si possa aderire al progetto che fa il presente Monsignor Arcivescovo di Polosko di servirsi piuttosto del Rituale di cui fanno uso nelle Russie li Disuniti che di quelli, de' quali si servono comunemente in Polonia i Ruteni Uniti alla S. Sede, giacchè per quanto li primi si decantino uniformi all'Eucologio Greco ristampato in Venezia a norma dell'edizione e correzione Romana, niente potrà mai persuadersi, che debbano togliersi dalle mani de' Preti Cattolici que' Rituali, de' quali fin'ora hanno fatto uso per renderli in ciò uniformi agli Scismatici » (*Relatio Card. Boschi*, APF, *Ibid.*, fol. 341rv).

permittere potuit, ut Uniti in Sacris celebrandis libros a Schismaticis editos adhiberent.

b) Responsum S. Congregationis reductionem Festorum respiciens datum est in Congregatione Generali Cardinalium S. Congregationis de Propaganda Fide die 23 Junii 1788, cui relatio ipsius Cardinalis Praefecti L. Antonelli praecessit.⁵⁵

Hoc responsum continetur in decreto eiusdem Congregationis 23 Junii 1788 edito et die 3 Augusti 1788 a Papa Pio VI comprobato, cuius textum hic afferimus:

« Decretum S. Congregationis Generalis de Propaganda Fide habita die 23 Junii 1788.

Referente Em.mo ac Rev.mo Cardinali Antonello Praefecto preces a R. P. D. Heraclio Lisowskyj Archiepiscopo Polocensi humillime oblatas pro reductione nonnullorum Festorum minoris solemnitatis, quorum praecepta est a Zamosciana Synodo observantia, — S. Congregatio ad ductis causis et circumstantiis rite perpensis, censuit supplicandum SS.mo pro petita dispensatione in quinque tantum Festis praefatis, nimurum, die 30 Januarii S. Basilii, S. Joannis Chrysostomi et S. Gregorii Nazianzeni; die 23 Aprilis S. Georgii; die 20 Julii S. Eliae, 25 ejusdem S. Annae, ac demum Feria VI, quae est decima sexta post Pascha, Dolorum B. Mariae Virginis, ita ut in Festis quinque praefatis Catholici omnes Polocensis Dioecesis ad opera servilia possint incumbere et a praecepto audiendi Sacrum eximi, firmo tamen atque immoto remanente apud omnem Clerum onere celebrandi in memoritas quinque diebus ritum et solemnitatem ac salva in reliquis observantia Calendarii ab eadem Zamosciana Synodo praescripta.

Hanc autem S. Congregationis sententiam SS.mo D.no N.ro Pio PP. VI relatam in audience habita per R. P. D. Stephanum Borgia Secretarium die 3 Augusti 1788 Sanctitas Sua benigne approbavit et Apostolica Sua auctoritate munivit ».⁵⁶

Ut ex tenore decreti patet, S. Congregatio solum ex parte postulatis Archiepiscopi Polocensis in causa reductionis Festorum annuendum esse censebat. H. Lisowskyj cupiebat in observandis Festis nullam inter Unitos et Schismaticos differentiam habere ideoque rogabat, ut tollerentur varia Festa a Synodo Zamostiensi introducta. S. Congregatio solummodo a quinque Festis dispensationem concessit.

Non concessit S. Congregatio, ut Festa Corporis Domini et B. Josaphat in proximam Dominicam transferentur.⁵⁷ Motivum huius decisionis, ut explicat ipse Cardinalis L. Antonelli, erat, quod ambo Festa deberent propriam memoriam retinere, diversam ab ea, qua colitur dies

⁵⁵ Cfr. APF, *Scritt. Rifer. Congr. Gener.*, t. 879, fol. 18-30v (*Ristretto* 23 Junii Ruteni Ponenza dell'Emm. Sig. Cardinale Antonelli Prefetto).

⁵⁶ APF, *Decreti della Congr. di Prop. F.*, t. 4, fol. 406v-407.

⁵⁷ Epist. L. Antonelli ad H. Lisowskyj 23-VIII-1788, ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 149, fol. 124.

Dominica.⁵⁸ Praesertim vero B. Martyri Josaphat peculiaris cultus debetur, quia hic Ecclesiam Ruthenam sanguine suo illustravit.⁵⁹

Denique minime annuendum esse censebat S. Congregatio proposito Archiepiscopi Polocensis, ut in Festis observandis Uniti sequerentur potius Calendarium non-Unitorum, quam praxim a Synodo Zamostiensi stabilitam.⁶⁰

Sententia Ecclesiae Romanae in causa reformationis liturgicae ab Heraclio Lisowskyj propositae hoc modo breviter comprehendi potest: Ecclesia Romana reformationem liturgicam in se valde utilem, etsi pro temporum circumstantiis periculis obnoxiam et parum opportunam esse censebat. In ipso vero obiecto et ambitu reformationis viam a via ab Archiepiscopo Polocensi proposita diversam sequi praecipit.

Posito enim Euchologio Benedicti XIV pro norma generali, retinendas esse voluit illas innovationes, quae post conclusionem Unionis in Ritu Rutheno ex motivis pastoralibus introductae fuerunt, praesertim vero illas, quas Synodus Zamostiensis sancivit.

⁵⁸ «S. Congregatio... duo Festa nuper memorata minime transferenda esse censem, quod debeat omnino peculiarem utriusque memoriam ritu plane ab eo diverso, quo colitur dies Dominica, celebrari» (*Epist. Antonelli ad H. Lisowskyj* 23-VIII-1788, ASV, IBID.).

⁵⁹ «Aequum sane est universam Nationem Ruthenam inclito huic Martyri peculiarem cultum tribuere, ac praesertim Dioecesim Polocensem, cuius Pastor et Magister olim fuit, quamque gloriosissima sui sanguinis effusione illustravit» (IBID., fol. 124v).

⁶⁰ IBID., fol. 124v.

CAPUT II.

Variae cleri rutheni de reformatione liturgica sententiae.

1. *De sententia Metropolitani J. Smogorzewskyj.* - 2. *Sententia Patris P. Wazynskyj.* - 3. *Sententiae variorum Basiliatorum:* (M. Wilczynskyj, D. Czaday, P. Krupickyj). - 4. *Sententiae auctorum informationum anonymarum.* - 5. *Capitulum Basiliatorum in Zydyčyn* (1788) *de reformatione liturgica.* - 6. *De sententia Metropolitani Theodosii Rostockyj.*

Opus reformatorium Heraclii Lisowskyj profundas repercussions in sinu Ecclesiae Ruthenae excitavit. Nec mirum est, quia nemo antea reformationem liturgicam in tam radicali forma et in talibus circumstantiis propugnare ausus est. In hoc igitur capitulo examinabimus, quomodo de reformatione Archiepiscopi Polocensis a variis Viris Ecclesiasticis ruthenis iudicatum fuerit.

1. SENTENTIA METROPOLITANI J. SMOGORZEWSKYJ.

Primo loco tractandum est de sententia *Jasonis Smogorzewskyj*, Metropolitani Kioviensis totiusque Russiae (1780-1788), sub cuius regimine maxime agebatur de reformatione liturgica.

Ut iam supra in *Introductione* vidimus, J. Smogorzewskyj, adhuc tamquam Archiepiscopus Polocensis Heraclium Lisowskyj magni aestimabat, ita ut eum pro suo Coadiutore habere vellet.¹ Sed inter duos Praelatos, postquam H. Lisowskyj anno 1784 ad sedem Polocensem promotus fuit, dissensus exortus est, cuius causa erat administratio partis dioeceseos Polocensis, quae sub dominio Poloniae remansit. Dissensus ille paulatim sese ad alias res extendit et imprimis ad campum liturgicum. Etsi desunt nobis argumenta, J. Smogorzewskyj simpliciter adversarium reformationis liturgicae fuisse, tamen ex altera parte constat, eum non libenter de hac re tractavisse.

Mentem Jasonis Smogorzewskyj in causa reformationis aliquatenus ex eius epistula 4 Aprilis 1786 ad Archiepiscopum Polocensem cognoscere possumus.²

In memorata epistula J. Smogorzewskyj incipit a causa et origine harum mutationum in Ritu, quas Basiliensis attribuit: «Basiliani pro-

¹ ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 147, fol. 302. Cfr. nostram *Introductionem*, pag. 6.

² ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 149, fol. 542-543.

vinciae Lithuaniae, in maxima parte Latino Ritu baptisati et educati, principaliora antea in Dioecesibus nostris gerendo officia, nonnullos Graecae Ecclesiae ritus latinis sensim accomodabant, non ex alio motivo, nisi ut Latinos, nostras Ecclesias frequentantes de sua cum Romana Ecclesia Unione, seu verius disparitate cum non-Unitis evidentius convincenter ».³

Sed Synodus Zamostiensis « videndo Latinos de nostra cum iisdem Unione plene jam persuasos, hujusmodi novitates tollendas, ac antiqua, beneque fundata praescripta observanda preecepit ».⁴ Munus compendi novum Rituale eadem Synodus Metropolitanu commisit, quod autem factum non est. Nam Metropolitanus Leo Kiszka brevi post Synodum Zamostiemsem mortuus est, et eius successor Athanasius Szeptyckyj nonnisi, « quasdam novitates Typo Unioviensi emendavit ». Florianus vero Hrebnickyj « post meum Roma reditum⁵ ac postquam viderit famosum illum Romanum Euchologium, in Congressu Novogrodecensi anno 1761 determinavit futuram Synodum, atque praestantiores Viros ex qualibet Dioecesi delegit, ac cum iisdem conclusurus erat ante-Synodalem Correctionem, sed brevi tempore ad aeternitatem vocatus, reliquit totum opus Philippo Wolodkowicz, qui intimatam Brestae Synodum neque inchoare voluit ob politica obstacula, licet iam ad locum descendisset ».⁶

Postea Smogorzewskyj breviter narrat, quomodo ipse semper sollicitus fuit de rituum observantia: « Quod me spectat, quilibet Polociae vidit, quantum adhibui studium, ut in pastoralibus functionibus veri observarentur ritus, et quomodo Religiosos Basilanos argueram brevitatis cantus liturgici, semperque recogitans demandatam Ritualis correctionem quaesivi et adhuc quaero vestigium laborum quos suscepereunt memorati Viri circa eandem correctionem ».⁷

In fine suae epistulae J. Smogorzewskyj Archiepiscopum Polocensem rogat, ut indicare velit qua methodo et super quibus fundamentis caeremoniae emendari debeant et quosnam passus hac in re Romae fecerit. Sic enim denuo totum correctionis opus Viris ad hoc delegatis committi et opere peracto exitus, si iam non in futura Synodo Provinciali, saltem in Protoarchimandritali Congregatione approbari et publicari posset.⁸

Ex allata epistula, etiamsi clare non appareat, quae fuit Metropolitanus Smogorzewskyj in causa reformationis sententia, tamen saltem hoc affirmare licet, illum non fuisse reformationi omnino contrarium. Ex testimonio Patris P. Wažynskyj comperimus, Smogorzewskyj iam statim post suam in Metropolitanum Kioviensem totiusque Russiae electionem (1780), dum in Generali Basilianorum Capitulo Torocaniis celebrato

³ IBID., fol. 542.

⁴ IBID., fol. 542.

⁵ Jason Smogorzewskyj erat alumnus Collegii Graeci S. Athanasii Romae annis 1734-1740 (Cfr. *Tabularium Graecorum Collegii in Urbe*, N. 13, fol. 2v-3).

⁶ ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 149, fol. 542. Hic sermo est de Synodo anno 1765 celebranda.

⁷ IBID., fol. 573.

⁸ IBID., fol. 573.

praeerat, corrigendi et revidendi Missalis operam daturum promisisse, eoque fine inhibuisse, quominus in Typographiis nova Missalis editio fieri posset, donec Missale revisum et correctum fuisset. Sed ipse P. Ważynskyj cum dolore adnotat: « hactenus nihil fuisse factum ».⁹

Frustra tum cardinalis Antonelli tum Nuntius Saluzzo Metropolitani excitabant, ut suam proferret sententiam, quomodo nempe caeremoniae Ritus Rutheni reformari et ad pristinum splendorem restitui possent.¹⁰ Ad iteratas instantias J. Smogorzewskyj responsionem dare tardabat et pro sua excusatione infirmitatem allegabat.¹¹ Haec procrastinatio valde displicuit Nuntio F. Saluzzo, qui in epistulis ad Cardinalem Antonelli saepe de « pigritia » et « indolentia » Metropolitani conquerebatur,¹² et denique omnem spem amisit, ut eum ad serum in causa reformationis examen adduceret.¹³

Revera J. Smogorzewskyj usque ad suam mortem (1-XI-1788) nullum votum aut propositum in causa reformationis Romam misit. Hoc solum Nuntius F. Saluzzo apud illum adeptus est, quod de rebus liturgicis in Capitulo Generali Basiliyanorum (Zydzczyn, Septembri 1788) actum fuit, sed huic Capitulo Smogorzewskyj praeesse non potuit, quia morbo mortali affectus fuerat et vix finito Capitulo diem supremum obiit.

2. SENTENTIA PATRIS PORPHYRII WAŻYNSKYJ.

P. Ważynskyj fuit sine dubio unus ex maxime insignibus Viris Ecclesiae Ruthenae saeculi XVIII. Erat alumnus Collegii Graecorum in Urbe.¹⁴ Eminebat doctrina, pietate, zelo prudentiaque. Dua bus vicibus electus est Protoarchimandrita Ordinis Basiliyanorum.¹⁵ Anno 1784, cum de electione Episcopi pro archidioecesi Polocensi ageretur, Rex Poloniae, Nuntius Varsaviensis Archetti et Metropolitanus J. Smogorzewskyj eius candidaturam sustinebant.¹⁶ Anno 1789 promotus est ad cathedram epi-

⁹ APF, *Scritt. Rif. Congr. Gener.*, t. 879, fol. 59v. (« *Observatio brevis...* »).

¹⁰ Cfr. *epistulas L. Antonelli* 29-IX-1787 — ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 71, fol. 27 et 23-VIII-1788 in ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 149, fol. 122rv. — et *epistulas F. Saluzzo* 4-VII-1786, ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 86, fol. 162v-163; — 27-V-1788, IBID., t. 87, fol. 34rv — 29-IX-1788, IBID., fol. 65v-66.

¹¹ « Quod attinet reformationem caeremoniarum a Domino ArchiEppo Polocensi propositam ignoscat, quaeo, Vestra Excellentia, quod ob praesentem virium mearum infirmitatem opportunam super tanto negotio responsionem adhuc differam » (*Epist. Jasonis Smogorzewskyj ad Saluzzo* 17-VI-1788, ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 149, fol. 166).

¹² « Egli (Smogorzewskyj) è anche pigro e moroso 'in dare sfogo alle domande da me fatte» (*Epist. ad Antonelli* 26-VII-1786, ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 78, fol. 65) — « Il Metropolitanano sempre constante nella sua indolenza non mi ha mai risposto a questo articolo» (*Epist. 30-I-1788*, ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 78, fol. 104).

¹³ « Indurre il Metropolitanano ad un esame serio dell'affare è una cosa quasi impossibile » (IBID.). « Tropo difficile si rende il vincere l'inerzia del Metropolitanano » (*Epist. 30-IV-1788*, ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 78, fol. 118).

« Sul Metropolitanano non occorre cantare: alla naturale pigritia si accrescono sempre più gl'incomodi di salute, ed ultimamente han temuto di perderlo » (*Epist. 14-VI-1788*, IBID., fol. 122v).

¹⁴ Annis 1754-1758, Natus est die 5-VIII-1732 in Lithuania.

¹⁵ Prima vice 1772-1780 et altera vice 1788-1790.

¹⁶ Cfr. *Introductionem*, pag. 10.

scopalem Chelmensem, quam in adversis temporibus prudenter usque ad mortem (+ 1804) gubernabat.

P. Wažynskyj magna auctoritate apud Nuntium F. Saluzzo gaudebat, qui eius consilium saepe exquirebat. Etiam ipse H. Lisowskyj eum venerabatur.¹⁷ P. Wažynskyj eruditus erat in rebus liturgicis et valde sollicitus de observantia liturgicae disciplinae in monasteriis sibi subiectis.¹⁸ Nihil igitur mirum, quod Nuntius Saluzzo eius sententiam in causa reformationis cognoscere volebat.¹⁹

Praeter varias epistulas ad Nuntium F. Saluzzo, in quibus data occasione quaestiones liturgicae movebantur, P. Wažynskyj tractatum: «*Observatio brevis super ritibus sacris a Ruthenis Unitis usitatis...*»²⁰ composuit. Hoc opusculum pro nobis summi est momenti, quia ostendit, quomodo de reformatione liturgica saeculo XVIII maior pars Unitorum senserit. Pro scopo nostri laboris sufficit, si hoc opusculum per summa capita recensebimus.

Rutheni, quamquam una cum doctrina evangelica a Graecis etiam omnes ritus sacros acceperant, non tamen in omnibus cum iisdem uniformiter concordabant. Apud ipsos Graecos non obstante eorum tenacitate et fidelitate erga traditionem deerat perfecta in Sacris celebrandis uniformitas. Non solum in antiquissimis manuscriptis, sed etiam in libris typo editis non paucae conspiciuntur differentiae et variationes de quibus iam Goar iuste conquerebatur.

Quod vero editiones liturgicas ruthenas spectat, multae differentiae in iis repertae causam in diversis, inter se discrepantibus manuscriptis tum ruthenis, tum graecis ad quorum normam conficiebantur, facile habent. Alter fons differentiarum sunt versiones, non semper fideles et accuratae.

Sed praecipua causa diversitatis in Ritu est Unio Ruthenorum cum Ecclesia Romana. Etsi enim Unitis omnium eorum sacrorum rituum integritas a S. Sede Apostolica benigne permissa et approbata fuit, tamen propter internam Nationis Ruthenae in catholicos et dissidentes scissionem diversitas et animorum dissensio regnare coepit. Accedit, quod ipsi Latini Ruthenorum rituum ignari non parvam eis molestiam facescebant, eo quod ritus in se sacros et innocuos, sibi vero ignotos vitio vertere, privatim ac publice persecui, in scenam vocare et ludibrio exponere veriti non sunt. A Latinis igitur Rutheni suspiciebantur, quasi non essent in Unione cum Ecclesia Romana firmi et sinceri eo, quod ritibus, cum Schismaticis communibus, in Sacris celebrandis uti persisterent. Haec erat causa et motivum, cur multi apud Ruthenos, ut sibi Latinorum ani-

¹⁷ Cfr. *Epistulam H. Lisowskyj ad P. Wažynskyj* 3-IX-1796, AVAK, t. XVI, pag. 595-597. P. Wažynskyj erat olim magister Heraclii Lisowskyj.

¹⁸ Cfr. eius *Epistulam circularem ad monasteria provinciae Lithuaniae* 12 Octobris 1785, iam a nobis supra citatam (AVAK, t. XVI, pag. 553-560).

¹⁹ Cfr. *Epistulas Nuntii Saluzzo ad P. Wažynskyj* 5-VII-1786, ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 86, fol. 163v-164; — 27-V-1788, IBIID., t. 87, fol. 35; — 23-I-1790, ASV, IBIID., fol. 155.

²⁰ «*Observatio brevis super ritibus sacris a Ruthenis Unitis usitatis declarans in quibus et qua de causa hi recesserint a communi usu Graecorum praecipue in celebratione Sacrosancti Misae Sacrificii*» (APF, *Scritt. Rifer. Congr. Gener.*, t. 879, fol. 45-59).

mos conciliarent et sese a suspicionibus purgarent a quibusdam antiquis Graecorum ritibus resilire et recedere coeperunt.²¹

Hoc modo invaluit mos Missae privatae seu lectae, fabricatio multorum altarium, consuetudo celebrandi in ecclesiis latinis. Neque alia de causa mutations sunt introductae in sacro ornatu, in suppellectili sacro, et negligi coeperunt ritus Proscomidia, usus lanceae et asterisci, infusio aquae calidae in calicem, usus ripidiorum et ita porro. Quidam ex memoratis ritibus a Synodo Zamostiensi sublati sunt, sed longe plures ex negligentia Sacerdotum et conniventia Pastorum in dissuetudinem abierunt, praesertim in ritibus Missae lectae. Multae ex his innovacionibus receptae sunt in Codicem Liturgicum anno 1692 a Metropolitanano Cypriano Zochowskyj editum, qui in illo componendo exemplum Italo-Graecorum secutus est.²²

Iamvero transiens ad reformationem ab Archiepiscopo Polocensi propositam P. Wažynskyj observat, hunc Praelatum erga exprobationes et criticas rituum ruthenorum ex parte Orthodoxorum provenientes nimis sensibilem se ostendere. Sunt enim illi ritus, etsi ab antiqua observantia discrepantes, tamen diuturno usu in Ecclesia Ruthena recepti.²³

Ex ipsis ritibus, quos H. Lisowskyj reformandos esse existimabat, P. Wažynskyj nonnisi paucos recenset propriis adiunctis observationibus. Carpit Archiepiscopum, quod paululum exagerat, dum affirmat varias ruthenas editiones inter se valde discrepare semperque nova addere vel tollere, constat enim, illas editiones rubricas Missalis a Cypriano Zochowskyj editi semper et constanter sequi. Verum est, quod privatim multae aliae caeremoniae observantur, sed id negligentiae Episcoporum aut eorundem Officialium tribuendum est.²⁴

Quod vero correctionem Ritualis attinet, P. Wažynskyj observat, hoc propositum non esse omnino novum, quia iam ab ipsa Hierarchia ruthena occasione Synodi pro anno 1765 convocandae de reformatione Ritualis deliberatum fuit. Sed propter adversas circumstantias nihil factum est ipsaque antesynodalnis Congregatio rebus infectis dissoluta fuit. Confessionem novi et correcti Ritualis etiam hodiernus Metropolitanus (Smogorzewskyj) promiserat, sed etiam ex hoc proposito nihil evenit.

Ut tandem in hoc negotio ad aliquem effectum perveniat, P. Wažynskyj necessarium esse existimat, ut omnes Episcopi rutheni resumant laudabilem, sed interruptam curam de componendo novo Rituali coniunctis studiis et communicatis secum mutuis consiliis. Cavendum est, ne, cum singuli Episcopi separatam moliantur caeremoniarum correctionem, varia in diversis dioecesibus inducatur observantia.²⁵

²¹ « *Observatio brevis...* », APF, ut supra, fol. 51rv.

²² IBID., fol. 56rv.

²³ « Haud deceat... Virum Catholicum, multo minus Ecclesiasticum, maxime vero Episcopum pudore suffundi si quando contigat audire Non-Unitos etiam duriter exprobantes quasdam rituum observationes de se innocuas, et si demus ab antiqua observantia alienas usu tamen receptas, alioquin advertentes tantam pusillanimitatem pergent ulterius et facile descendant ad calumnianda etiam Dogmata, quae iisdem non placent » (IBID., fol. 57rv).

²⁴ IBID., fol. 59.

²⁵ « Optandum itaque esset, ut Pastores Rutheni resumant laudabilem intermissam sollicitudinem suam vel suorum Praedecessorum, conjunctisque studiis et communicatis secum mutuo

In fine sui opusculi P. Wažynskyj suam sententiam de Euchologio Benedicti XIV profert. Censem, non satis provisurum esse necessitati, si tantum illud Euchologium pro norma exemplari assumeretur, quia illud Euchologium non est aptum, ut celebrantem sacerdotem in omnibus ritibus servandis dirigat et instruat.²⁶

Hanc suam de Euchologio Benedicti XIV opinionem P. Wažynskyj clarius in epistula 20-III-1791 ad Nuntium Saluzzo explicavit: « Euchologium tale, ait, usibus Ecclesiasticis non respondere usquequoque pro Graecis multo minus pro Ruthenis judico. Enimvero in dirigendis actionibus Sacerdotis circa persolvenda Officia Divina multis in locis jejenum nimis et mancum est. In correctione itaque hujusmodi Euchologii impensum puto studium circa emendandos, si qui irrepserant, errores, minime vero sollicitos fuisse Correctores in adimplendis passim desideratis dissertationibus seu indicijs. Cumque eadem correctio pro Graecorum usu suscepta perfectaque sit, idcirco conservati sunt nonnulli Graecorum in celebratione Missae ritus, quos Nationalis Synodus Zamosciana approbante S. Sede abrogandos censuit, multisque in locis desideratur plenior instructio omnino necessaria, quomodo celebrans se gerere debeat ».²⁷

Ceterum P. Wažynskyj persuasus erat de necessitate reformationis liturgiae ruthenae: « Sine dubio noster a Ritu Graeco recessus Russos ab Unione avertere potest, ideoque huic aversioni diligenter praecavendum est ope reintegrationis rituum ecclesiasticorum irreprehensibilium, et curandum est, ut conformes ad normam ederentur et ut omnes posteriores mutationes, quae nullis confirmatae sunt statutis, praesertim in Euchologiis, Ritualibus et Pontificalibus eliminarentur... Porro curandum est, ut ad hanc normam abhinc omnes conficiantur editiones exclusis omnibus innovationibus ».²⁸

3. SENTENTIAE VARIORUM BASILIANORUM.

Praeter P. Wažynskyj etiam alii Patres Basiliani a Nuntio F. Saluzzo immediate vel mediate suscitati opinionem de reformatione rituum pronuntiabant. Quae opiniones etsi non eminent accurata rerum consideratione, qualem apud P. Wažynskyj vidimus, tamen ostendunt nobis, quomodo de reformatione a variis viris sentiebatur.

consiliis, ne si sejuncti singuli novam moliantur correctionem, variam in variis Dioecesibus inducant observantiam » (IBID., fol. 59v).

²⁶ « Neque meo iudicio satis tali provideretur necessitati, si Romanum Euchologium Graecum pro exemplo assumeretur, propterea quod idem haud videtur suffcienter in omnibus ritibus servandis dirigere et instruere sive celebrantem, sive alia Ecclesiastica Officia peragentem Sacerdotem » (IBID., fol. 59v).

²⁷ ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 149, fol. 451rv.

²⁸ Epist. Patris P. Wažynskyj ad Metropolitanum Theodosium Rostockyj 3-XI-1796 in AVAK, t. XVI, (Vilna 1889), pag. 597-598. Cfr. etiam M. HARASIEWICZ, *Annales Ecclesiae Ruthenae*, pagina 851-852.

Prima (chronologice) huiusmodi opinio extat in informatione a P. *Maximiliano Wilczynskij*²⁹ die 22-I-1786 ad Nuntium Saluzzo missa.³⁰

Hac in informatione, quae potius in favorem Archiepiscopi Polocensis interpretari potest, P. Wilczynskij refert Praelatum Polocensem nullam veri nominis mutationem in Ritu prosequi, sed tantummodo valde insistere, ut omnes caeremoniae a Synodo Zamostiensi praescriptae fideliter observentur. Proinde Archiepiscopum maximam habere curam, ut in ecclesiis Iconostases et altaria circumvagabilia secundum Ecclesiae Orientalis morem habeantur. Ceterum Archiepiscopum totam rem Romanam retulisse et abhinc decisiones expectare.³¹

Alia informatio ex anno 1788 proveniens auctorem habet P. *Dionysium Czaday*, Abbatem.³² P. Czaday non suam de reformatione opinionem exprimere vult, sed potius « haec omnia, quae vel ex certa scientia vel etiam ex fama non levi currente » perceperat.³³

Refert, igitur, Archiepiscopum adhibere Missale, Pontificale et Rituale non ab Unitis publicata, sed a Schismaticis Kioviae edita,³⁴ admittere abrogatum usum spongiae, stellam, lanceam necnon infusionem tepidae aquae in calicem « tamquam disuniti ». Porro fere ex omnibus ecclesiis eieccesse altaria more catholicorum ad parietes extracta, et « more acatholico » regiam Iconostaseos portam velo subduci iussisse. Missa celebratur vix non per totum tempus ianuis clausis et nonnisi unica in die admittitur. Ipse Archiepiscopus, ut dicunt nonnulli, comas nutrit vestiturque more Episcoporum non-Unitorum ita ut fere nulla inter illum et schismaticum distinctio dari possit. In informatione P. Czaday conscientie vel inconsciente hoc maxime sublineatur, quod omnes mutationes Archiepiscopi « more Schismaticorum » fiunt et ita totia reformationi tendentia schismatica affiguntur.

In eodem fere arguento versatur etiam informatio *Patris Justi Krupickyj* die 12-III-1790 scripta.³⁵ Haec informatio facta est in forma responsorum ad quaestiones in causa reformationis a Nuntio F. Saluzzo propositas. A P. Krupickyj comperimus de conamine Heraclii Lisowskyj et Georgii Turkiewicz imprimendi ruthenam Euchologii Benedicti XIV versionem in civitate Moscua. Quoad caeremonias ab Archiepiscopo sublatas aut reformatas nominat suppressionem genuflexionum, refor-

²⁹ *P. Maximilianus Wilczynskij*, oriundus ex Volhynia, natus est anno 1741. Post ingressum in Ordinem Basilianorum erat alumnus Collegii Graecorum in Urbe (1766-1770). Postea erat Superior Pontificii Alumnati in Vilna, Procurator Provinciae Lithuaniae et denique Protoarchimandrita Ordinis (1790-1793).

³⁰ ASY, ARCH. NUNZ. VARS., t. 149, fol. 602-605v.

³¹ Haec relatio, ut ipse M. Wilczynskij dicit, nititur notitiis ex una epistula « che ho ricevuta ultimamente da una persona grave ed istruita » (IBID., fol. 603).

³² *P. Dionysius Czaday* erat Abbas Monasterii Leszczinensis prope Pinsk. Cfr. eius relationem in ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 149, fol. 538.

³³ IBID., fol. 538.

³⁴ De eadem re referebat ad S. Congregationem de Propaganda Fide sacerdos Ruthenus *Thimotheus Pavlowskyj* in epistula 20-VII-1785 hisce verbis: « Scandalizati sunt Ecclesiastici, quin et ipse populus aliquid sapiens, quod Ill. mus Praesul Polocensis, rejecto Pontificali, quoto Hierarchia nostra utitur, suscepit Pontificale quoad omnes ritus et caeremonias non-Unitum. Hujusmodi mutatio magnam in populo fecit admirationem et concussionem » (APF, *Scritt. Rifer. Congr. Mosc. Polon. Rut.*, t. 15, fol. 596).

³⁵ *P. Justus Krupickyj* erat Professor S. Theologiae in Monasterio Abbatiali Polocensi.

mationem rituum conversionis ad populum, celebrationem S. Missae clausis Iconostaseos ianuis, praescriptum de velo abducendo et de consumptione SS. Specierum ad cornu altaris.³⁶

4. SENTENTIAE AUCTORUM ANONYMORUM.

De reformatione liturgica supersunt etiam nonnullae informationes et observationes auctorum anonymorum. Ab uno huiusmodi informatore relatum estat, Archiepiscopum Polocensem celebrare Missam in assistentia Acolythorum vestitorum Tunicis « prout id apud non-Unitos practicatur ».³⁷

Secundum alium informatorem ex Polocia reformatio caeremoniarum in dioecesi Polocensi omnino ad normam non-Unitorum procedit. Parochi semel in hebdomada ad monasteria maiora convenire debent, ut novas caeremonias ediscant. Missam lectam nonnisi in casu necessitatis et quidem clausis ianuis cum uno inserviente celebrari fas est. Libri (liturgici) Unitorum ex Polonia sunt prohibiti. Publica fama fert, Archiepiscopum solum ea conditione ad dignitatem episcopalem promotum fuisse, quod se hoc facturum (id est reformationem) in scripto promiserat. « Illa est enim peculiaris a Moscovitis ad destructionem S. Unionis excogitata methodus, ut populus qui superficialiter totam religionem in externis ritibus fundatam esse putat, eo facilius suo tempore intercep-tus esse possit ».³⁸ Apud multos igitur Unitos zelum Archiepiscopi in pro-pugnandis « caeremoniis non-Unitorum » alii existimant esse « speciem adulationis traditoriae », alii vero « servilitatis pestiferum fructum » esse opinantur.³⁹

Inter has anonymas informationes maximi momenti est quaedam sub titulo: « *Observationes in Missam Polocensem* »,⁴⁰ id est breves adnotationes criticae ad textum et caeremonias Missae S. Joannis Chrysostomi, ex Euchologio Benedicti XIV in linguam vetero-slavicam a G. Turkiewicz translatae. Anonymus auctor⁴¹ ponit 61 huiusmodi adnotationes, in quibus erudit et fideliter ostendit, quibusnam caeremoniis celebratio Missae secundum Ritum Ruthenum ab usibus Euchologii graeci Bene-dicti XIV discrepat. In brevi introductione, quam auctor adnotationibus praemittit, de causis diversitatis in ritibus tum in Occidente, tum in Oriente, praesertim vero in Ecclesia Ruthena disserit.

Maxima ex parte haec diversitas variis temporum et locorum circumstantiis adscribenda est. Non enim evitari potuit, quin per duo integra saecula coniunctionis Ecclesiae Ruthenae cum Romana et simul separationis a coetu Schismaticorum aliquid varietatis in Ritum Ruthenum ir-repsisset. Ceterum discrepaniae illae paucae et non essentiales sunt.

³⁶ Cfr. ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 149, fol. 533-534v.

³⁷ ASV, Ibid., fol. 536-7. Haec relatio provenit, ut est veri simile, ex anno 1789-1790.

³⁸ AVAK, t. XVI, pag. 387-388. Haec informatio provenit ex anno 1787.

³⁹ AVAK, t. XVI, pag. 387.

⁴⁰ ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 149, fol. 526-531.

⁴¹ Hoc opusculum compositum est sub fine anni 1790 et auctorem habuit aliquem monachum Basilianum, probabiliter Patrem M. Wilczynskyj.

Quae vero Synodus Zamostiensis in caeremoniis mutaverat, ob graves causas et legitima auctoritate facta sunt.

Concedit auctor « *Observationum* », introductionem Missae lectae (seu ut ipse dicit « *privatae* ») dedisse occasionem variorum tum in Missa lectatum in cantata abusuum, sed illos abusus ipsi Unitorum Episcopi convocatione Synodi (1765) tollere in animo habebant. Quos abusus sensim, putat, et circumspecte emendare debere, ne ex huiusmodi intempestiva emendatione aliquod scandalum aut variae difficultates oriantur. Existimat, Archiepiscopum Polocensem « intempestive velle reformationem rituum in suam dioecesim introducere eosque etiam ritus revocare, qui a Synodo Zamosciana prohibiti sunt, nihilque advertere, omnibus Graecorum etiam minimis revocatis (ritibus) populum, qui ignorat, quid intercedit Unidos inter et non-Unitos, facile induci posse ad crendendum, hos et illos unius dogmatis esse ».⁴²

5. SENTENTIA CAPITULI ZYDYZHYNENSIS BASILIANORUM

Hoc loco mentionem facere debemus *Capituli Generalis Basilianorum in Zydyczyn anno 1788 celebrati*, in quo etiam de rebus liturgicis sermo movebatur.

Capitulum non ex propria voluntate de reformatione caeremoniarum deliberationem instituit, sed ad expressum desiderium Nuntii F. Saluzzo.⁴³ P. Ważynskyj, cui Nuntius suum desiderium communicaverat, quidem existimabat, talem deliberationem competentiam Capituli excedere, tamen utile esse censebat, ut de iis rebus in Conventu Basilianorum disseratur.⁴⁴

In sessionibus 11 et 12 agebatur igitur de reformatione ab Archiepiscopo Polocensi proposita. Lectae fuerunt epistulae Nuntii F. Saluzzo et S. Congregationis de Propaganda Fide ad H. Lisowskyj et ultimi ad S. Congregationem necnon supra memoratum opusculum Porphyrii Ważynskyj. Postquam de hac materia discussio instituta fuit, « commendatum est Rev.mis Provincialibus eligendis, ut in Missis cantatis et lectis aequa ac in ipsis apparmentis sacris conformitatem rituum praescriptam servari current. Statutum quoque est, ut si quos Religiosos ab una vel altera Provincia Ill.mis Excel.mis Metropolitanus ad libros Ecclesiasticos revidendos et alia Ecclesiae Ruthenae peragenda obsequia requisiverit, Rev.mi Provinciales prompte eosdem concedant... Censores vero librorum interim invigilent, ne in Typographiis variationes contingant et novitates inserantur ».⁴⁵

Ex testimonio Patris Lucae Sulżynskyj, qui Capitulo intererat, compemimus, Patres capitulares in causa suppressionis Festorum Corporis Domini et B. Josaphat negativum dedisse votum, existimantes huiusmo-

⁴² ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 149, fol. 527.

⁴³ Epist. Nuntii ad P. Ważynskyj 27-V-1788, ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 87, fol. 35.

⁴⁴ Epist. P. Ważynskyj ad Nuntium Saluzzo 15-VI-1788, ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 133, fol. 184v-185.

⁴⁵ APF, Scritt. Rijer. Congr. Gener., t. 885, fol. 294.

di suppressionem pro Ecclesia Ruthena maximum despectum et offenditionem secumferre.⁴⁶ Quoad res liturgicas Patres capitulares in genere sententiam Patris P. Ważynskyj sunt secuti, cuius opusculum « summe laudaverunt ».⁴⁷

6. SENTENTIA METROPOLITANI H. ROSTOCKYJ.

Capitulum Zydyczynense, *Coadiutore Metropolitano Theodosio Rostockyj*, Episcopo Chelmensi, praesidente, celebratum fuit, quia Metropolitanus J. Smogorzewskyj hoc tempore animam agebat. Cum vero eo mortuo (1788) Theodosius Rostockyj dignitatem metropolitanam assecutus esset, ad eius competentiam spectabat opus reformationis liturgicae ad effectum perducere.⁴⁸

De sententia huius Praelati circa reformationem non multa reperimus. Certe magis activum se manifestavit, quam suus Praedecessor. Quod ex hac circumstantia patet, quod brevi tempore « *Observationes in Missam Polocensem* » confici curavit easque Nuntio F. Saluzzo transmisit.⁴⁹ Adhuc tamquam Coadiutor Metropolitanus J. Smogorzewskyj (1787) misit eidem suas de reformatione liturgica observationes, quas proh dolor! non habemus.⁵⁰ Theodosius Rostockyj in genere hanc sequebatur opinionem quod in reformandis caeremoniis valde caute procedendum est, nam « in duobus sibi oppositis adjunctis invenimur: in Ukraina et in Polesia supra Kioviam populus indiget, ut antiqui ritus conserventur, in aliis vero dioecesisibus oportet, ut conservetur id, quod legitime vel etiam illegitime introductum fuerat. Necesse est igitur, ut valde subtiliter unum cum altero componatur et ad certos limites perducatur, ne hi ab Unione repellantur, illi vero a ritibus retrudantur ».⁵¹

Cura huius Praelati quoad uniformitatem in caeremoniis ab omnibus servandam clare ex synodali eiusdem epistula ad clerum die 16 Maii 1789 data apparet, in qua sub numero decimo legitur: « Ut in Missis cantandis et legendis ab omnibus uniformitas stricte servetur, nimirum in Missis cantandis praescriptum Missalis Unioviensis pro norma teneatur; in legendis vero prout praescriptum ex communi usu desumptum in

⁴⁶ « *Kratkija izvěstija o položeniji bazilianskago ordena i raznykh peremjenach v jeho upravleniji ot 1772 g. do 1811 g.* » (TKDA, 1868, III, pag. 151).

⁴⁷ APF, *Scritt. Rifer. Congr. Gener.*, t. 885, fol. 294.

⁴⁸ *Theodosius Rostockyj*, ultimus Metropolitanus Kioviensis totiusque Russiae natus est 1724 in Lithuania, Erat alumnus Collegii Graecorum in Urbe, postea Provincialis Provinciae Lithuaniae Basilianorum, dein episcopus Chelmensis, Coadiutor Metropolitanus cum iure successionis et ab anno 1788 Metropolitanus - usque ad annum 1795, in quo a Catharina II dignitas metropolitanana suppressa fuit. Mortuus est 1805 Petropoli.

⁴⁹ *Epist. Nuntii F. Saluzzo ad Antonelli 26-I-1791*, ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 78, fol. 171rv.

⁵⁰ De hisce « observationibus » mentionem facit ipse Th. Rostockyj in *Epistula ad Metr. J. Smogorzewskyj* 12-VI-1787, AVAK, t. XVI, pag. 401.

⁵¹ IBID., pag. 401.

praesenti Synodo a Nobis traditum manuducit ».⁵² Sed laudabilem huius Metropolitani de reformatione caeremoniarum curam eventus politico-ecclesiastici ultimi decennii saeculi XVIII impediverunt.

Ex omnibus, quae de cleri rutheni sententia hucusque disserimus, haec elementa communia notari possunt: Reformatio liturgica est intempestiva, plena periculis et difficultatibus. Statuta Synodi Zamostiensis sunt retinenda. Principia vero et methodus reformationis ab Archiepiscopo Polocensi propugnata generatim condemnantur, quia speciem redditus et conformatio[n]is ad ritus Schismaticorum praeseferunt.

⁵² ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 149, fol. 129.

CAPUT III

Orthodoxorum et Catholicorum de reformatione liturgica sententiae.

1. *De iudiciis Orthodoxorum.* - 2. *De iudiciis Catholicorum.*

In hoc capitulo varias tum Orthodoxorum tum Catholicorum de reformatione H. Lisowskyj opiniones recensebimus. Notandum est, varios scriptores sive catholicos sive «orthodoxos», de Heraclio Lisowskyj data occasione loquentes, non solum eius reformationem liturgicam, sed in genere universam eius ecclesiasticam activitatem prae oculis habere et sub hac considerationis ratione iudicia sua proferre.

1. JUDICIA ORTHODOXORUM.

Magnopere nostra interest scire, quomodo Orthodoxos Heraclio Lisowskyj contemporaneos de eius opere reformatorio sensisse. Sed de hac re fere nihil invenire potuimus. Ex quibusdam indiciis fas esset concludere, Orthodoxos contemporaneos aliquem influxum in opus Archiepiscopi Polocensis habuisse, sed haec indicia nullis argumentis comprobari possunt, ideoque caute adhibenda sunt.

Sic v. gr. ex relatione anonyma, quam iam in praecedenti capitulo adduximus, resultat, Archiepiscopum aliquas conditiones subscribere debuisse, antequam ad sedem Polocensem promotus fuit. In eadem relatione affirmatur, res ab Archiepiscopo Polocensi propugnatas nihil aliud esse quam bene excogitam Moscovitarum methodum ad Unionem Ecclesiae Ruthenae cum Romana destruendam.¹ Ex altera vero informatione comperimus, Archiepiscopum Polocensem «cor et intellectum» orthodoxo Archiepiscopo Mohiloviensi Georgio Konyskyj «sacrificavisse».² Sed de huiusmodi influxu et «pressione» ex parte Orthodoxorum documenta silent neque ipsi «orthodoxi» scriptores talem influxum admittunt.

Quodam ex testimonio anni 1787 constat, Orthodoxos, vel ut stricte loquamur, Principem G. Potemkin, non approbabuisse sententiam Romanae Ecclesiae in causa reformationis quam Cardinalis L. Antonelli in epistula ad H. Lisowskyj expresserat.³ G. Potemkin in colloquio cum rege

¹ AVAK, t. XVI, pag. 387-388.

² Ibid., pag. 387.

³ Epist. Antonelli ad H. Lisowskyj 29-VII-1786, ASV, ARCH. NUNZ. VARS., t. 149, fol. 545.

Poloniae Stanislae Poniatowski habito die 21-III-1787 in Chwastow (Ukraina), aperte « intransigentiam » Ecclesiae Romanae in causa reformationis vituperabat: « Vester Archiepiscopus Unitus Lisowskyj rogarbat Papam, ut solummodo permitteret Unitis assimilare aliquas caeremonias ad non-Unitos, sed Papa respondit negative dicendo: Oportet sustentare murum separationis, quo distinguimur. Papa in minutis haeret, neque satis attendit ad realitatem ».⁴

Dum de mente Orthodoxorum contemporaneorum in causa reformationis fere nihil referre potuimus, plura de opinionibus scriptorum et virorum ecclesiasticorum temporis posterioris adduci possunt. Auctores « orthodoxi » de Heraclio Lisowskyj loquentes fere unanimiter eum laudibus extollunt. Sed dum alii debitam mensuram excedunt et intentiones Archiepiscopi sinistre interpretantur, dantur alii, qui de scopo et charactere operis eiusdem Archiepiscopi magis moderatam et obiectivam censuram apponunt.

Ad primam categoriam pertinent Viri ecclesiastici, qui anno 1839 sub imperatore Nicolao I auctores famosae « reunionis » Ecclesiae Ruthenae cum Ecclesia Orthodoxa Rossiaca extiterunt, nempe J. Siemaško, A. Zubko et B. Lužynskyj. Hi omnes magna cum sympathia de Heraclio Lisowskyj tamquam de « praecursore reunionis » loquuntur.

Secundum J. Siemaško idea « reunionis » probabiliter exorta est in mente Heraclii Lisowskyj, vel saltem ille decisus fuit huius operis instrumentum fieri, et eo fine animam suam ad hoc opus peregrinatione ad sacra loca Hierosolymis praeparavit. Sed proiecta aetas huius digni Hierarchae non correspondebat tanto operi.⁵ A. Zubko laudat activitatem reformatriam H. Lisowskyj, maxime vero, quod celebrabat secundum Pontificale editionis Moscoviensis.⁶

Omnis suos sodales anni 1839 superat in extollendo opere Heraclii Lisowskyj apostata B. Lužynskyj.⁷ Secundum eius sententiam H. Lisowskyj « genuinum erga ritus graeco-orientales habuit amorem, qui ei certe coelitus fuit inspiratus », quique eum ad destructionem latinarum innovationum in Ritu Rutheno impellebat.⁸ Omnes eius actiones erant bono et utilitati tum Status Rossiaci tum Ecclesiae Orthodoxae conformes, « curabat enim de praeparanda reunione populi et cleri Ecclesiae Graeco-unitae cum Orthodoxia eo quod iisdem ritus graeco-orientales familiares reddebat ».⁹ Erat igitur primus magnus Hierarcha, qui

⁴ « Votre Archévêque Unis Lisowski a demandé au Pape seulement de permettre aux Unis d'assimiler quelques Articles du Cérémoniel aux non-Unis, et le Pape a respondu négativement en disant: « Il faut maintenir le mur de séparation, que nous distingué. Le Pape se perd en minutes et ne songe pas assez au réel » (APF, *Scritt. Rifer. Congr. Mosc. Polon. Rut.*, t. 16, fol. 132).

⁵ (J. SIEMAŠKO) *Zapiski Josifa Mitropolita Litovskaho*, I, S. Petersburg, 1883, pag. 51-52.

⁶ ANTONIJ ARCHIEP. (Zubko), *O greko-unitskoj Cerkvi*, (CHOLMSKYJ greko-unijatskij Mjesiaceslov, 1866, pag. 15).

⁷ *Zapiski Vasiliya Lužynskaho Archiepiskopa Polockaho* (Pr. S.), 1884, II, pag. 181-201) Lužynskyj multas de H. Lisowskyj congestas habet notitias, sed non adducit fontes, undenam illas hauserit. Hic auctor in genere non raro exagerat et veris falsa admiscet.

⁸ *Zapiski...*, pag. 183.

⁹ *Ibid.*, pag. 185.

Ecclesiam Ruthenam cum Orientali-Orthodoxa reunire sincere cupiebat.¹⁰

Sed, uti supra diximus, adsunt inter orthodoxos scriptores, qui magis moderate de opere H. Lisowskyj sentiunt, ad quos pertinet D. Tolstoj, M. Kojalovič, J. Cistovič et alii.

D. Tolstoj laudat Archiepiscopum Polocensem, quod « semper suo Ritui addictus erat, eumque contra commixtionem cum romano defen-debat ».¹¹ Omnes actiones Archiepiscopi tum in campo liturgico tum in aliis vitae ecclesiasticae provinciis eundem habebant finem, id est, ut Ecclesia Unita rediret ad pristinum suum statum et ad antiquos ritus, quos Romani Pontifices in actu Unionis perpetuo servandos solemniter promiserunt, qui tamen in decursu duorum saeculorum sensim sine sensu latinis (ritibus) succubuerunt.¹² Comparando H. Lisowskyj cum apostata J. Siemaško, Tolstoj aperte negat, H. Lisowskyi fuisse « praecursorem reunionis », quam J. Siemaško postea fideliter continuabat et complevit. Lisowskyi erat (sicut et J. Siemaško) « homo russicus », « inimicus polonismi », sed ne cogitabat quidem de reunienda Ecclesia Unita cum Orthodoxa. Conabatur solum suam Ecclesiam in pristinum statum, quo inveniebatur tempore Unionis Brestensis, reducere, sed nihil ultra.¹³

Eandem rationem in diiudicanda activitate Archiepiscopi Polocensis retinet historiographus M. Kojalovič. Hic auctor etsi opus reformatum H. Lisowskyj laudat, tamen « cum dolore » agnoscere coactus est, Archiepiscopum non solum nullam « reunionem » intendisse, sed neque illius claram ideam habuisse.¹⁴

Simile iudicium de persona et activitate H. Lisowskyj profert J. Cistovič. Finis operis Archiepiscopi Polocensis erat quidem « appropinquatio » inter Ecclesiam Unitam et Orthodoxam, sed pro bono et utilitate non Orthodoxae, sed Unitae Ecclesiae. Lisowskyj non amabat « latinismum » et Ecclesiam Orthodoxam valde sibi propinquam existimabat, sed simul eam Romae subicere cupiebat. Proinde intenta ab eo Ritus Rutheni reformatio nihil aliud erat, quam medium ad Unionem Ecclesiae Orthodoxae cum Ruthena et simul cum Ecclesia Romana. Aliis verbis scopus Heraclii Lisowskyj erat « universalis Unio totius Ecclesiae Rossiaca cum Romana, cum conservatione propriae hierarchiae et ritualis independenciae, sed cum sublectione supremae jurisdictioni Papae ».¹⁵ De alia « reu-nione » Ecclesiae Ruthenae cum Ecclesia Rossiaca H. Lisowskyj omnino non cogitabat.¹⁶

¹⁰ Ibid., pag. 185-186.

¹¹ M. le comte Dmitry TOLSTOJ, *Le catholicisme Romain en Russie*, II, (Paris 1864), pag. 344.

¹² Ibid., pag. 348-349. Cfr. etiam russicam eiusdem operis editionem: « Rimskij katolicizm v Rossiji », II, (S. Petersburg 1876), pag. 364, 360.

¹³ D. TOLSTOJ, *Josif, mitropolit litovskij i vozsojedinierije unijatov s pravoslavnou cer-koviju v 1839 g.* (Žurnal ministerstva narodnago prosvješčenija, 1869, N. 10, pag. 233).

¹⁴ M. KOJALOVIČ, *K predstojašemu pjadidesyatletiju vozsojedenija zapadno-russkikh uni-jatov 1839 g* (CV, 1889, N. 10, pag. 174-175).

¹⁵ J. ČISTOVIC, *Sostojanje unijatskoj Cerkvi v Rossiji v carstvovanije Imperatora Aleksandra I* (Pr. O. 1879, II, pag. 209).

¹⁶ Ibid., pag. 216.

Aliis auctores orthodoxi, ut *N. Petrov*,¹⁷ *A. Sapunov*,¹⁸ *J. Kračkovskij*,¹⁹ *P. Bobrovskij*,²⁰ *G. Kiprijanovič*,²¹ in suis de Heraclio Lisowskyj opinioribus nihil novi afferunt, sed vel sententiam Basiliū Lužynskyj, vel illam auctorum Tolstoj-Kojalovič-Cistovič sequuntur.

2. JUDICIA CATHOLICORUM.

Scriptores catholici in genere non multa de Heraclio Lisowskyj habent, et nonnisi superficialiter de eius activitate sermonem faciunt.

A. Theiner valde obiter et satis confuse de Archiepiscopo Polocensi mentionem facit, sed de eius reformatione liturgica omnino tacet.²² Idem dicendum est de *M. Harasiewicz*.²³ *J. Pelesz* nominat quidem H. Lisowskyj « dignum et fidelem Episcopum catholicum »²⁴ eiusque in defendenda Unione constantiam laudat,²⁵ attamen adnotat, eum non omnem spem et expectationem iustificavisse, quam Romana Ecclesia in eo reponebat.²⁶ De reformatione liturgica *J. Pelesz* omnino silet.

Secundum historiographum *E. Likowski* Archiepiscopus Polocensis erat « homo saltem valde debilis et malae indolis »²⁷ et praesertim inimicus polonismi et Ritus Latini. Hic auctor in genere severe de Heraclio Lisowskyj iudicabat, sed de opere reformationis fere nihil habet. Eius severum de activitate Archiepiscopi Polocensis iudicium respicit praecipue relationem eiusdem ad Gubernium Rossiacum, ad Ecclesiam Orthodoxam, ad Ordinem Basilianorum et ad Ecclesiam catholicam Ritus Latini.

Idem fere iudicium repetit *J. M. G.*, auctor articuli de Heraclio Lisowskyj in *Encyclopedie ecclesiastica polonica*.²⁸ Secundum *J. M. G. H. Lisowskyj* « conscie vel fortasse inconscie eandem prosecutus est viam, quae Josephum Siemaško ad catastropham anni 1839 conduxit ».²⁹ Auctor varios infaustos passus Praelati Polocensis enumerat, imprimis eius litem cum Basilianis et cum Ritu Latino necnon oppugnationem statutorum Synodi Zamostiensis et « purgationem » Ritus Rutheni a latinismis. Has deviationes adscribit nimiae confidentiae erga protectores et fautores orthodoxos.

¹⁷ PETROV, *Očerk istoriji Bazilijskago Ordenu v byvšej Poľsce* (TKDA, 1872, I, pagina 195-196, 259-264, 270-272).

¹⁸ SAPUNOV, *Istoriceskie sudby Polockoj jeparchiji...*, Vitebsk 1889, pag. 120.

¹⁹ KRAČKOVSKIJ, AVAK, t. XVI, in *Praefatione*, pag. CXIX.

²⁰ BOBROVSKIJ, *Russkaja greko-unijatskaja Cerkov v carstvovanije imperatora Aleksandra I*, S. Petersburg 1890, pag. 22-58.

²¹ KIPRIJANOVIC, *Žizn Josifa Siemašky Mitropolita Litovskago i Vilenskago...*, Vilna 1897, pag. XI, 34-35, 38-42.

²² THEINER, *Die neuesten Zustände...*, pag. 296, 302-303, 315-319, 325-327.

²³ HARASIEWICZ, *Annales Ecclesiae Ruthenae*, Leopoli 1862, pag. 830-831, 841-842, 845-852.

²⁴ PELESZ, *Geschichte der Union...*, pag. 558.

²⁵ IBID., pag. 559-560.

²⁶ IBID., pag. 590.

²⁷ LIKOWSKI, *Dzieje Kościola...*, II, pag. 23-24.

²⁸ Podręczna Encyklopedia Kościelna, Tom. XXIII-XXIV, (Warszawa 1911), pag. 359-360.

²⁹ IBID., pag. 359.

xos. Ceterum H. Lisowskyj fuit pastor valde activus, nec negari potest eum de S. Unione habuisse curam.³⁰

Secundum W. Charkiewicz H. Lisowskyj erat quidem bonus organizator, sed etiam homo sine firma voluntate et absque eminentibus dotibus intellectualibus, imbecillis et facile influxui externo succumbebat. Charkiewicz contra affirmationes Orthodoxorum (speciatim contra B. Lujzynskyj) contendit, H. Lisowskyj nunquam de destructione (« liquidatione ») Ecclesiae Ruthenae cogitavisse.³¹

Multo rectius de activitate Heraclii Lisowskyj iudicat P. A. Ammann. Quamquam apud Archiepiscopum Polocensem plus aequo influxum josenfismi et gallicanismi sublineat,³² tamen omnino recte de scopo eius reformationis liturgicae iudicat. H. Lisowskyj ope reformationis intendebat liberare Ecclesiam Ruthenam a multis latinismis, qui a Russis aegre fermentabuntur, et sic in campo liturgico ad antiquam observantiam redire.³³

Ex variis his adductis opinionibus clare apparet, rectum de Heraclio Lisowskyj et de eius reformatione liturgica iudicium non solum ab ipsis factis historicis, sed etiam a variis principiis, praesuppositis et etiam praeiudiciis, quibus auctores reguntur, obfuscari posse.

³⁰ IBID., pag. 360.

³¹ W. CHARKIEWICZ, *Zmierzch Unji Koscielnej na Litwie i Białorusi*, Slonim 1929, pag. 82-83.

³² A. AMMANN, *Storia della Chiesa russa*, pag. 405, 410-411. Etiam GATTI-KOROLEVSKIJ, (« I Riti e le Chiese Orientali », Genova 1942, pag. 640, 760) minus recte de « ideis jansenisticis » apud Heraclium Lisowskyj exprimitur.

³³ « Il Lisowskyj cercò anzitutto di giungere a una riforma interna della Chiesa a lui affidata. Voleva far scomparire quell'impressione straniera e polacca che essa produceva sui russi con le molte latinizzazioni che vi si erano introdotte, anche dopo il Sinodo di Zamostia. Perciò chiese a Roma la sottomissione dei Basiliani alla propria direzione, l'abolizione e, in certa misura, un ritorno della liturgia all'antica maniera bizantino-slava », (*Storia della Chiesa Russa*, pag. 385-386).

CAPUT IV.

Recapitulatio et conclusio.

Nobis nunc reliquum est, ut breviter complectemur, quae hucusque de opere H. Lisowskyj disserebamus et simul indicemus conclusiones, ad quas nostris investigationibus perducti sumus.

1. RECAPITULATIO.

Ante omnia opus Heraclii Lisowskyj considerandum est habitus respectu ad adiuncta et circumstantias, in quibus vivebat et suam activitatem exercebat. In hoc insistebamus in nostra *Introductione*. Hic ostendimus, quomodo opus reformatorium Archiepiscopi Polocensis per longum tempus praeparatum fuit et suas radices habuit. Huiusmodi causae remotae erant: evolutio Ritus Rutheni saeculi XVIII, motus versus traditiones liturgicas antiquas, maxime vero precaria situatio illius partis Ecclesiae Ruthenae, quae Imperio Rossiaco incorporata fuit. Quae omnia incitamentum dederunt, quod Archiepiscopus Polocensis reformationem liturgicam movere et urgere coepit.

De ipso reformationis opere per longum et latum tractavimus in *prima dissertationis parte*. Hic exposuimus historiam reformationis, eius principia fundamentalia, eius ambitus seu obiectum, eius motiva et medium necnon fontem, ex quo idea reformationis profluit.

In exponenda *reformationis idea*, fundamentum ideologicum totius operis indicavimus, quod principaliter in hoc consistebat, ut Ritus Ruthenus, qui decursu duorum saeculorum multas innovationes assumpserat, ad hanc formam restitueretur, qua tempore Unionis Brestensis gaudebat, quamque Romani Pontifices solemniter servandam promisebant. Ex huiusmodi reformationis idea H. Lisowskyj reformandas voluit omnes innovationes nulla legitima auctoritate, maxime vero post Synodum Zamostiensem, in Ritum Ruthenum inductas; et dein etiam illas, quae auctoritate huius Synodi introductae vel sancitae fuerunt.

Obiectum igitur reformationis constituant secundum talem ideam varii «abusus», «corruptelae» et deflexiones ab antiquis ruthenis ritibus in celebratione S. Missae, in administratione Sacramentorum, in Divino Officio necnon in rebus cum cultu divino intime connexis. Huc spectat etiam nimia multiplicatio Festorum, contraria antiquae Ecclesiae Ruthenae praxi. Omnes «abusus», quos H. Lisowskyj nominatim

enumeravit, critice ex documentis contemporaneis exponere conati sumus.

Inter *motiva reformationis*, ab ipso Heraclio Lisowskyj adducta, pri-
mum locum obtinet *motivum iuridico-liturgicum*. Abusus reformandi sunt,
quia illegitime introducti, id est ex arbitrio hominum privatorum et typog-
raphorum, ex praxi monastica, ex negligentia et oscitantia Hierarchiae,
ex defectu uniformis librorum liturgicorum editionis et sine ullo S. Sedis
Apostolicae consensu. Adhuc maius momentum in reformatione attribuit
H. Lisowskyj *motivo unionistico*. H. Lisowskyj urget reformationem, quia
ex corruptione Ritus Rutheni multa damna pro S. Unione profluunt: scan-
dalum populi, apostasiae ab S. Unione, irrisio Ecclesiae Ruthenae ex
parte Orthodoxorum, aversio eorumdem ab Ecclesia catholica et diminutio
auctoritatis ipsius Sedis Apostolicae. Econtra ex reformatione liturgica
boni fructus, maxime vero conciliatio et ultimatum conversio Ecclesiae
Orthodoxae sperari possunt.

Tamquam *remedium* ad reformationem promovendam maxime op-
portunum H. Lisowskyj proponebat versionem et introductionem Euchologii
Benedicti XIV pro praxi liturgica in Ecclesia Ruthena. Hac in re
magnum influxum passus est ex parte sacerdotis Georgii Turkiewicz, qui
etiam in totum opus reformationis magnum exercuit influxum.

In *secunda dissertationis parte* tractavimus de variis sententiis, opini-
onibus et iudiciis circa reformationem liturgicam Archiepiscopi Polocensis.

Primo loco ostendimus, quaenam fuerit *mens Romanae Ecclesiae*.
Sententia Romanae Ecclesiae non erat negativa, sed conciliativa. Non omnia postulata et principia H. Lisowskyj plenum consensum et approbationem Romae habuerunt. Mens Romanae Ecclesiae tum quoad principia,
tum quoad motiva et remedium, tum praesertim quoad obiectum refor-
mationis haud parum a propositionibus Archiepiscopi differebat. Euchologium
Benedicti XIV, etsi pro norma generali admissum erat, nihilominus
voluit S. Congregatio de Propaganda Fide retinendas illas omnes innovationes liturgicas, quae ex motivis pastoralibus in Ecclesia Ruthena introductae fuerunt praesertim vero omnia statuta et decreta Synodi Zamostiensis.

Ceterum haec Romanae Ecclesiae sententia fere in omnibus con-
cordat cum *votis cleri rutheni* illius temporis. Diversi Ecclesiae Ruthenae Viri reformationem valde periculosam et intempestivam existimabant. Opus reformationis ab H. Lisowskyj propositum iis non solum
quoad ambitum et obiectum sed maxime propter motiva suspectum apparebat. Multi enim in reformatione liturgica inopportunam et periculosa-
sam conformationem ad ritus non-Unitorum conspiciebant.

Quod vero *iudicia tum orthodoxorum tum catholicorum scriptorum*
attinet, animadvertisendum est, non omnes scriptores naturam et indolem
operis Archiepiscopi Polocensis recte perspexisse. Dum «orthodoxi» au-
ctores H. Lisowskyj magnis laudibus extollunt et non raro ultra modum
exagerant, auctores catholici nimis severe eum condemnant et iudicium
non semper rectum de eius intentionibus et ideis proferunt. Sunt
tamen nonnulli (Tolstoj, Cistovič, Ammann), qui activitatem H. Lisowskyj
sat obiective considerant, et ad rectum iudicium proxime accedunt.

2. CONCLUSIO.

Si nunc conclusiones, ad quas pervenimus, indicare fas est, hoc imprimis notare velimus *intimam intercedere cahaeraentiam et nexus inter opus Heraclii Lisowskyj et politico-ecclesiasticas circumstantias illius temporis*. In opere reformationis non agebatur tantummodo de correctione quorundam rituum aut Festorum reductione, sed etiam de revisione *ideae ipsius Unionis*, seu aliis verbis de quodam motu ideologico-unionario. Tota activitas Archiepiscopi Polocensis (non solum liturgica) illum tendentiam habuisse videtur: restaurare Ecclesiam Ruthenam in spiritu auctorum Unionis Brestensis et restituire eius pristinam conditionem et positionem. Sed huiusmodi radicalis « orientalizatio » Ecclesiae Ruthenae habito respectu ad circumstantias illius temporis valde periculosa, praematura et intempestiva apparere debuit. Et hic igitur quaerenda est causa, cur reformatio liturgica tam severa iudicia excitaverit et ultimatim nullum effectum habuerit.

Quod *ipsam personam* Heraclii Lisowskyj attinet, eum hominem non eminentis ingenii aut dotis fuisse affirmare fas est. Circumstantiae politico-ecclesiasticae, in quibus vixit et in quibus tota Ecclesia Ruthenae illis temporibus inveniebatur, fortasse eius vires et facultates superabant. Sed etiam in his adversis temporibus H. Lisowskyj valde activum et pro bono Ecclesiae Ruthenae valde sollicitum sese monstravit. Maxima eius cura in hoc consistebat, ut Ecclesiam Orthodoxam in imperio Rossiaco dominantem sibi conciliaret et hoc modo sortem Ecclesiae Ruthenae in eodem imperio sublevaret et meliorem faceret. Animatus erat idea Unionis Ecclesiarum et hanc Unionem variis modis praeparare conabatur. Non negamus Archiepiscopum Polocensem nimiam spem in bonam voluntatem Orthodoxorum reposuisse, id est nimium « idealistam » fuisse. Sed contra multorum tum Orthodoxorum tum Catholicorum opinionem affirmare licet, eum semper fidelem catholicum remansisse, proindeque suspiciones de eius orthodoxia tamquam infundatas et exageratas reiciendas esse censemus.

Quod vero stricte eius reformationem liturgicam spectat, omnino recte varia incomoda ex corruptione Ritus pro Ecclesia Ruthena emanantia perspexit. Porro notandum est, eum primum inter Hierarchas Ecclesiae Ruthenae fuisse, qui rectam viam in reformatione liturgica sequi conabatur, inquantum auxilium a Sede Apostolica petivit eiusque iudicio sua postulata et proposita subiecit. Hoc praecipue extollendum esse ducimus, nam omnes fere posteriores Ritus Rutheni reformatores proprio marte et sine consensu S. Sedis Apostolicae proposita sua propugnabant. Sed in propugnanda reformatione H. Lisowskyj immoderato interdum zelo ducebatur, quod ei non paucos adversarios.

Eius reformationis idea, spectatis adiunctis et mentalitate illius temporis, nimis audax et suspecta apparere debuit. H. Lisowskyj falsam opinionem de quadam pristina unitate et uniformitate communis Ritus « russico-rutheni » habuit, ideoque non semper recte de origine et tempore introductionis variorum « abusum » in liturgia ruthena iudicabat. Non satis distinguebat usus et innovationes anteriores a recentioribus, post Synodum Zamostiensem introductis.

Pars II: Cap. IV.

Ex motivis reformationis maius momentum potius motivo iuridico-liturgico quam unionistico tribuendum esse censemus. H. Lisowskyj nimis a reformatione liturgica expectabat et fortasse ipse postea perspicere debuit, Unionem Ecclesiarum multo magis ab aliis adiunctis, suppositis et condicionibus, quam a reformatione liturgica dependere. Pari modo censemus Archiepiscopum Polocensem nimiam expectationem in introducendo in liturgia ruthena Euchologio Benedicti XIV reposuisse. Iuste P. Ważynskyj huius Euchologii insufficientiam, incommoda et defectum demonstravit.

Ut breviter nostram de reformatione liturgica Heraclij Lisowskyj sententiam proferamus, dicendum est, *reformationem liturgicam non solum spectatis adiunctis periculosam et intempestivam fuisse, sed etiam in sua idea, obiecto, motivis et praesertim in suo remedio variis labora visse defectibus. Et in hisce etiam causa insuccessus illius quaerenda est.*

APPENDIX

NONNULLA DOCUMENTA AD REFORMATIONEM LITURGICAM SPECTANTIA.

*Epistula H. Lisowskyj ad J. Smogorzewskyj, Metropolitanum
Kioviensem totiusque Russiae, die 8. II. 1786.*

ASV, Arch. Nunz. Vars. t. 149, fol. 568r-570r.

(fol. 568r.) Pergenti mihi ad Illmum Dnum Zaba Palatinum Polocensem accidit mihi in Monasterio Hlebo-Borisensi legere litteras Excellentissimae D. V. ad R.vum Abbatem datas, quibus mediantibus iubet sibi relationem fieri, quomodo et in quo ego Caeremonias Ecclesiasticas contra Synodi Zamoscianaes constitutiones haud observem. Ad quod egomet ipse tamquam optime intentionis finisque operationum mearum gnarus opportunum duxi respondere Dni Vrae Ex.mae Eandemque plene informare.

Synodus Zamosciana licet nonnullos Ritus antiquos Ecclesiae Nostrae immutaverit, nihilominus a Sede Apostolica cum hac clausula approbationem obtinuit: « Approbamus non derogando antiquis ». - Caeremonias tamen in Missae Sacrificiis et in administratione Sacramentorum antiquas observare iussit, atque ideo Metropolitano commendavit invigilare, quatenus fine observandae uniformitatis (fol. 568v.) Ritus Ecclesiastici in tota Hierarchia conficiat Euchologium illudque pro examine et approbatione Sedi Apostolicae porrigat. Cum ergo post Synodum talia Missalia, Pontificalia et Ritualia Supraslji confecta, quae si Roma videret satius reprobaret quam approbaret eadem, dum cum Euchologio Romano, quod f. r. Benedictus XIV in suis Encyclicis quae incipiunt: « Allatae sunt » - commendat his verbis: - « Illud Nobis propositum nunc est, ut Vos Venerabiles Fratres certiores faciamus ab solutum iam esse opus Correctionis Graeci Euchologii post diuturnum rerum omnium examen, accuratissima castigatione emendatum, ideoque Vos hortemur, ut hoc potissimum in Sacris Actionibus adhibeatis ».

Quod Euchologium et ad Nostros Episcopos Roma transmissum fuisse non ignoro, idque non alio profecto fine, nisi ut in Caeremoniis Ecclesiasticis eidem Nos conformemus. Cum itaque dicta Missalia, Pontificalia et Ritualia cum praefato Euchologio conferemus ac praeterea in supradictis Encyclicis etimologiam antiquarum Caeremoniarum Nrae Ecclesiae diligenter considerabimus (fol. 569 r.) pudebit Nos nimis nostri novi Ritualis Suprasliensis et praecipue conversionis ad populum cum expansione manuum ad haec verba: « In saecula saeculorum », - translationis Missalis ex locu ad locum, omissionis Introituum, translationum

calicis atque etiam ipsorummet pacificorum nec non aliorum, ut ita dicam, mirabilium, de quibus totum librum edidit Advocatus Romanus Rodoṭà, vocando has nostras novas Caeremonias *spurium Ritum*, anterius vero Goar librum *Ritualem Nostrorum Basiliyanorum* in Occidente viuentium, quorum vestigia Nostri sequuntur, pulchre nimis laudavit in notis in Missam S. Chrysostomi: - « Septimum, inquit, quo S. Basilii Monachi in Occidente utantur, quod quamvis ab errore aut suspecto cultu, non tamen a novitate quadam inducta pro spectata ab ipsis majore cum latinis conformitate alienum est censendum ».

Si adhuc id nostrum carum Rituale non praebaret magnum scandalum rudi populo et ab unitate S. eundem (fol. 569v.) non arceret, quemadmodum et D.no V.ra Excel.ma in Ukraina experitur, possemus adhuc ad aliquod tempus illo uti, sed cum ego plurimas Ecclesias vacante Sede ex causa huius Ritualis ad non-Unionem avulsas non sine dolore cordis video, constitui non utendum ulterius eodem in hisce oris tamquam non approbato data prius de hoc notitia Sedi Apostolicae, Subticeo quantum erubescere cogor ad quamlibet interrogationem Magnatum, qui Ritum Ecclesiae bene intelligunt, in quibus fundamentis hae novitates ad Unitos introductae, cum nequeam me defendere neque auctoritate SS. Patrum neque Constitutionibus Synodi Zamoscianaee, quae quoad traditionem SS. Patrum omnia fideliter observanda praecepit Titulo 3 « De Sacramentis », sperando quod etiam Metropolitanus, quem obstrinxit, novum Rituale imprimi iubebit, illudque suis Ecclesiis observandum fideliter tradet. En igitur ego... Divino Ritu a SS. Patribus constituto et in Euchologio Romano descripto non aliud intendo nisi (fol. 570 r.) ut relinquam non-Unitis in loquendum dumtaxat, quod Uniti differant ab iisdem oratione tantum pro Papa Romano et additione ad Symbolum « Filioque », non autem ut dicant de Nobis, quod non simus nec Romani nec Graeci.

Clare itaque me explicando, do meum consilium Exc.tiae V.rae, quatenus ad majorem utilitatem Ecclesiae Nostrae Sanctae et ad nostram existimationem exclusis omnibus novitatibus ex Ritu, quem tenemus, ad mentem Synodi Zamoscianaee Euchologium conforme cum Romano componi quantocius iubeat, adimplendo id, quod Antecessores Sui adimplere neglexerunt. Circa praemissa habeo honorem me subscribendi...

Strunie, 8-11-1786.

HERACLIUS LISOWSKI

***Epistula Heraclii Lisowskyj ad S. Congregationem
de Propaganda Fide, die 22. II. 1786.***

ASV, Arch. Nunz. Vars. t. 70, fol. 302r-304v., et t. 149 fol. 546r-547v.

Eminentissimi Domini!

(fol. 302r.) Cum primis adhuc Septembribus anni elapsi 1785 iteratas supplices litteras meas ad S. Sedem Apostolicam dederim, humiliter expetens permissionem corruptelas, quae in ritum nostrum ac praesertim in sacras caeremonias Missae incuria atque inscientia nostrorum sensim irrepsero, reformati, nullam tamen adusque resolutionem obtinui, vehementer suspicor hasce litteras meas ab adversariis meis interceptas.

esse, quare easdemmet iterum hic adiungo ita ut scriptae erant in modum sequentem:

Ex quo Petropoli primas litteras meas scripsi, non licuit per tempus aliis distento integre exponere quae me permoverant Sanctae Sedi Apostolicae supplicare, ut mihi benigne permitteret adiuvaretque abusus, qui in Ritum nostrum a tempore Zamosciana Synodi, et vel maxime in Sacrae Missae Caeremonias irrepsérunt, reformare. Evidem Synodus Zamosciana Tit. 3 de Sacramentis decernit Caeremonias a Patribus sibi traditas esse retinendas, at in hoc secum ipsa pugnans cum plures easque antiquissimas tum ibidem in sequentibus decretis tum alibi tollit, unde etiam conditionatam nonnisi S. Sedis Apostolicae, prout felic. record. Benedictus XIV in sua Epistula, quae incipit « *Allatae sunt* », Nr. 16, id notat, approbationem obtinuit sub hac scilicet clausula: « Ita tamen, quod per nostram praedictae Synodi confirmationem nihil derogatum esse censatur constitutionibus Romanorum Pontificium Praedecessorum Nostrorum et Decretis Conciliorum Generalium emanatis super ritibus Graecorum ».

Et nimurum Patribus (fol. 302v.) huius Synodi contigit quod idem s. memor. Pontifex in Sua Encyclica, quae incipit: « *Ex quo primum* », ubi sub initium absolutum correctionis Euchologii Graeci opus commendat, sapientissime advertit inter alia aiens: « In iusta quippe et fallax Ecclesiaeque paci atque unitati contraria est eorum iudicantium ratio, qui latinorum tantummodo Ritualium notitiam habentes nec aliud scientes praeter ea, quae tradiderunt nonnulli ex nostris scriptoribus, nostrarum quidem rerum periti, sed Graecorum consuetudinum rudes, eiusque rationis ignari, quam semper cum ipsis secuta est Apostolica Romana Sedes, non dubitarunt in Sacris Graecorum Ritibus omnia damnare, quaecumque latino Ritui conformia et consentanea non reperiebant », atque hoc est quod eosdem Patres excusare potius quam accusare malui. Quod vero ibidem demandant Metropolitanu curam componi Rituale, quo omnes Ecclesiae nostrae utantur, id quidem etsi non ad rem tamen effectum est, cur vero alterum nempe ut hoc Rituale a S. Sede approbaretur hactenus omissum divinare non possum. At certus nihilominus sum, nunquam obtineri posse huius novi nostri Ritualis ex Graeco et Latino inepte commixti Apostolicam approbationem, cui in antecessum Jacobus Goar in notis in S. Chrysostomi Missam de corrupto similem in modum. quo Monachi Ordinis S. Basili in Occidente iam utebantur Rituali agens: hanc censuram affigit: « Quamvis (inquit) ab errore aut suspecto cultu, non tamen a nativitate quadam inducta pro affectata ab ipsis maiore cum latinis conformitate alienum est censedum ». Cuius apud nos ita corrupta post Synodum Zamoscianam Ritualis occasione multa inter ipsos (fol. 303r.) Unitos suborta scandala praesertim in rudi populo, qui in hanc diem novum istum Ritum pati neutiquam potest. Unde statim notabilis pars Ukraine ad non-Unitos transivit, tum denuo paucos ante annos plus quam ad trecentas ibidem parochias hac ipsa de causa a suo Unito Pastore defecerunt unice contra hoc clamitantes: « Nos nolumus, ut nobis Unio, sed ut Orthodoxa celebrentur », ita nimurum hunc novum Ritum detestando ipsam Unionem, quam in novo isto Ritu unice consistentem existimant, abhorrent.

Maxime vero in praesens, ubi non-Unitis iam suus Episcopus datus timendum est, ne, ut nosco indolem populi, huius antiqui ritus in totum etiam ubi restituatur, qui utique post susceptam a Nostris Unionem anno 1596 usque ad annum 1720, videlicet ad Synodum Zamoscianam ut integre servabatur. Verum quod magis et singulariter mea interest in mea Eparchia, sede vacante et post, plus quam centum Parochiae eadem de causa ob aversionem nempe huius novi Ritus ovile suum deseruere et nisi proposito a me medio tempestivo occurratur, exemplo harum plures ad parem defectionem non uno in loco dispositae sunt.

Et haec quidem paucis retuli quoad rudem populum apud quem impersuasum est idem esse antiquum Ritum et orthodoxiam, restat, ut breviter narrem, quanto rubore non semel suffundor, quoties inter Magnates Russiae ritus non-Uniti versari me contigit, qui istas nobis novas caeremonias duriter exprobrant, uti: « quare (dicunt) sub tempus Missae convertimini versus populum ad haec verba: « *per omnia saecula saeculorum* », quod nec latini sacerdotes faciunt, nonne melius et ad latinum ritum etiam conformius nostri Presbyteri convertunt se ad populum (fol. 303v.) sub ista verba: « *Pax omnibus* », item « *Gratia Domini Nostri Iesu Christi et charitas Dei et Patris et communicatio Spiritus Sancti sit cum omnibus vobis* » - quare (ajunt) adhuc Graeci Uniti alibi, immo in ipsa Roma Ritum antiquum observant, et apud Vos pro more polono ita ritus sicut apud illos forma vel quotannis nova excogitatur, quippe ut Rituall quisque etiam privatus aliquid addit, vel immutat, nec est certa regula, cui adstringatur, cum etiam quot novae huiusmodi, Ritualium editiones tot ferme variationes, unde apud vulgus quoque in proverbium abiit: « *alius sacerdos alia caerimonia* ».

Tunc ulterius inquunt: « *Vester Ritus nec latinus est nec Graecus, sed quid medium atque spurium, quia non a Sanctis Patribus acceptum* ». Immo ipse altissimus princeps Potemkin, Latinorum et Unitorum in Russia ab Augustissima Imperatrice designatus Protector, dum in Ecclesia nostra sub tempus solemniter celebratae Missae aderat, postquam finitum, usque ad confusione mei summam ex Goario ineptias novi huius nostri Ritus perquam... perstringebat, et quid ad haec responderem non inveniebam aliter, quam quod me offerem daturum operam ista reformati.

Quae vero corruptela Ritus tum nostris tum Latinis simplicioribus multum perplacet idque ex falsa hac persuasione, ac si esset ritus proprius ac characteristicus Unitorum, quo ab non-Unitis discernantur, ideo sciens me cum S. Paulo doctis et indoctis debitorem esse supplicavi et nunc iterum supplico humiliter Sanctae Sedi Apostolicae permittere immo demandare mihi huiusmodi abusum et corruptelam utpote scandali plenam de mea Eparchia quantocius tollere, alias diutius has inconvenientias tolerare nullo pacto potero.

Porro Rituale nullum (fol. 304r.) ego formare volo, quod scilicet revisioni et approbationi S. Sedis subiicere debeam, sed in toto Euchologium correctionis Romanae, quod nunc primum ad manus meas pervenit, assumere exopto, de quo laudatus supra s. m. Benedictus XIV in dicta Encyclica sub initium ait: « *Illud Nobis propositum nunc est, ut Vos Nobiles Fratres certiores faciamus, absolutum iam esse opus correctionis* ».

Graeci Euchologii post diuturnum rerum omnium examen accuratissima castigatione emendatum ideoque Vos exhortamur, ut hoc potissimum in Sacris Actionibus adhibeatis ».

Et quia hoc Euchologium aliunde scio in omnibus fere conforme esse Ritualibus, quibus hic in Russia non-Uniti utantur, unde praevideo sicut meum factum illis multum placere, ita a supra recognita nostri vexatione et populi ad se evocatione ex tunc cessare, neque ab Unione ita abhorre, a qua praecipue ista corruptela Ritus animos eorum alienos usque adhuc reddiderat.

Notum est etiam Sanctae Sedi Apostolicae, quam tenacissimi sunt omnes Orientales antiqui sui Ritus, hinc quoties de Unione cum Graecis actum erat, praeprimis id sibi cavebant, ut Ritus eorum illaesus servaretur, quod et Nostri ineundo cum Sede Apostolica 1596 anno unionem solemniter sibi praecustodiverant, quemadmodum refert idem laudatus fel. record. Pontifex Benedictus XIV in praefata Epistula: « *Allatae sunt* », Nr. 14, atque hae meae iteratae preces ad S. Apostolicam Sedem de reformato in archidioecesi Polocensi Ritu.

Quantum vero attinet petitam a me dispensationem super Festis per Synodus Zamoscianam ultro congruum multiplicatis, praesertim sub tempore laborum rusticis destinatum, uti S. Johannis Evangelistae bis in anno, in (fol. 304v.) Septembri scilicet et in Maio, quod Festum nec semel apud Latinos quoad populum celebratur, S. Nicolai item bis in anno: in Decembri et Maio; S. Georgii in Aprili; S. Eliae, S. Annae, SS. Romani et Davidis in Julio ipso tempore messis, et eorundem SS. Romani et Davidis denuo in Maio; Decollationis S. Joannis Praecursoris Domini in Augusto; inter Festa mobilia Festum Corporis Christi Domini et Dolorosae Beatissimae, tum Beati Josaphat 26 Septembribus noviter per Synodus Zamoscianam constituta, quae utpote apud nos nova plebs ad observandum nullo modo adduci potest, proinde nonnisi cum illis dispensata periculo se peccandi continuo exponunt; atque super his potissimum facultas dispensandi per me a S. Sede expetitur, necnon super reliquis, quae primae non sunt classis et quoties iurisdictio saecularis id a me instanter requiret, conformiter videlicet ad facultatem Ill.mo Archiep.po Mohiloviensi latino 1777 anno die 6 Aprilis concessam, qui utique in sua Eparchia paucissimos habet rusticos labori adscriptos. Cum his itaque benignam gratiam atque indulitam resolutionem a S. Sede Apostolica iterato expetens cum profundissimo cultu maneo.

Polociae, 22 Febr. 1786

HERACLIUS LISOWSKI
Archiepiscopus Polocensis.

***Epistula Cardinalis L. Antonelli ad Heraclium Lisowskyj,
die 29. VII. 1786.***

ASV, Arch. Nunz. Vars. t. 149, fol. 544r-545v.

(fol. 544r.) Binas ad Amplitudine Tua accepi epistulas, diebus 22 Februarii et 2 Martii perscriptas. Alias praeterea mihi indicas primis Septembribus anni elapsi diebus ad me datis, quas tamen non recepi. Prae-

ter illas enim, quas die 25 Januarii huius anni ad me misisti, nullae aliae abs te mihi redditae sunt litterae. Iis vero Petropoli scriptis responsum dedi die 14 Maii, quod per Apostolicum Nuntium Varsaviensem ad Te perlatum non dubito. Sed quum die 22 Februarii ad me scripseris, nondum Tibi traditum esse potuit. Quapropter miratus sum minime, rursus Te in eodem argumento versatum esse, quod in Epistula 25 Januarii per tractaveras, tum de nonnullorum rituum ac caeremoniarum emendatione, quas contra Euchologium a Benedicto XIV in lucem editum in Ecclesiam Ruthenam invectas esse narras, tum de Festorum diminutione.

Quod vero ad postremum hoc caput pertinet, equidem Ampl. Tuae respondi, quamvis Ap. Sedes generalem facultatem arbitrio suo Festa diminuendi Tibi nullatenus impertiri posset, tamen si quales essent festi dies, pro quibus dispensationem necessariam putares, Dominum N.rum Pium VI Pontificem Maximum minime praetermissurum, ut Tuae dioecesis necessitati ac commodo prospiceret. Nunc autem adiicere possum, eandem petitionem vel Poloniae Regis nomine Sanctitati Suae factam fuisse, quae statim iussit Metropolitanum interpellari, ut quot et qualia sint Festa, quae dispensari possent, ac quonam pacto ac regula in ipsis opera servilia essent permittenda, accurate et distinete declararet. Itaque quaecumque a Summo Pontifice pro Ruthenis dioecesibus in Poloniae Regno existentibus decernentur, idem quoque pro Tua tota Dioecesi statui potuerit, atque ita quod habere antiquissimum debemus, totius Ecclesiae (fol. 544v.) Ruthenae plane conformis erit disciplina.

Quod vero spectat ad nonnullorum rituum ac caeremoniarum, quae in Ecclesiam Ruthenam irrepsero, emendationem, equidem intelligo, nihil esse profecto facilius, quam ut vitium aliquod in eas tempus invexerit. Verum donec Ampl. Tua indicaverit, quae nam sint labes ab iis extergendae, nunquam certe concedi poterit ampla ac generalis facultas reformati Liturgiam easque universim Caeremonias abrogandi, quae non-nihil ab Euchologio Benedicti XIV iussu promulgato discrepare videntur. Nemo sanus certe in dubium vocaverit, idem Euchologium rectissimum ac sanctissimum esse, ac quam maxime optandum, ut etiam Rutheni illo uterentur, quamvis in peculiarem Graecorum Orientalium usum adornatum sit, quibus idem Benedictus XIV litteris Encyclicis inscripsit.

Caeterum animadvertisendum est, Euchologii substantiam neutiquam immutari, si iustis de causis interdum levis caeremoniarum peracta sit immutatio aut nonnullius ritus alicuius nationis proprii ac peculiaris additamentum accesserit, pari modo quo ritus Latinus a caeremoniarum varietate, quae in una aut altera provincia vel Regno in usu est, nequaquam corrumpitur, aut violatur. Oportuit enim vero huiusmodi mutationibus indulgere, quod cum in componenda atque ordinanda disciplina beat Ecclesia temporum circumstantiae, virorum indolis ac vitiorum emendationis rationem habere, prudentissimae eius est oeconomiae non modo tolerare, sed etiam permettere nonnullorum rituum mutationem, qui propter malum eorum usum amplius convenire non videntur aut aliorum additionem approbare, qui vel ad fidem confirmandam, vel ad errores elevendos maxime conducunt. Evidem (fol. 545r.) eruditioni Tuae iniuriam facere arbitrarer, si rem adeo perspectam exemplorum universae historiae Ecclesiasticae auctoritate demonstrandam susciperem.

Itaque donec Sedes Ap. certior facta non fuerit, quinam ritus ac caeremoniae, ab iis in Graeco Euchologio praescriptis discrepantes, in Ecclesia Ruthena sint abrogandae, nunquam certe assentiri poterit, quod Ampl. Tua, nedum quilibet alias Antistes arbitrio suo eorundem reformationem aggrediatur. Inde enim non solum maxime cavendum, ne discriminis singularium Ecclesiarum Ruthenarum vitium proflueret, quod pro diverso Episcoporum libito in dies augeretur, verum etiam verendum esset, ne iis caeremoniis ac ritibus derogaretur, qui legitima auctoritate ac diuturna consuetudine in Ecclesiis Ruthenis florent ac vigent suaequae coniunctionis cum Ecclesia Romana tesseram veluti quandam praeseferunt, quae si forte aufererentur, Schismatici sibi plauderent ac sese Sanctae illius coniunctionis vinculum abrupisse omnemque divisionis parietem evertisse glorientur, quae eosdem a Nobis divisos ac separatos usque hactenus continebat. Providendum etenim quidem est, ne in Schismaticorum odium et offensionem incurramus, si eas caeremonias reiicimus, quae Veterum Patrum usu et totius Ecclesiae Graecae consensione comprobatae sunt, at non ita leniter ac remisso cum illis agendum est, ut quidquid ipsi respuunt, nos quoque abiicere debeamus eosque ritus, quos illi ad sui defensionem erroris fortasse tuentur, in nostra Sacra transferre. Nam quemadmodum laetandum est nobis, quod ab illis Fidei societate disiungimur, ita nihil verendum, quod in quibusdam disciplinae capitibus diversa sectemur. Quapropter ut in tanti momenti negotio mature atque ordine (fol. 545v.) pergamus, necesse est, ut distinete ac singillatim eos omnes ritus ac caeremonias declares, quas a re catholica esse putas ab Ecclesiis Ruthenis auferri earum difformitatem atque aberrantem rationem ostendas; non modo Metropolitani, quocum Te iam Epistolarum commercium hac de re iniisse maxime laetus sum, sed doctiorum etiam totius nationis Episcoporum consultationes adhibeas, ac demum eorum sententias Apostolicae Sedi communices, quae ad lapsam disciplinam ac perturbatam rationem componendam novisque legibus firmandam sua auctoritate providebit, iisque rebus omnibus libentissime prospiciet, quae catholicae Fidei propagationi ac splendori inclytiae nationis Ruthenae magismagisque conducere possunt. Precor denique Deum, ut Te sustentet quam diutissime et fausta ac prospera omnia contingant.

L. Card. ANTONELLI,
Praefectus (S. Congregationis de Propaganda Fide)

Romae 29 Julii 1786

*Epistula Nuntii Varsaviensis Ferdinandi Saluzzo
ad Heraclium Lisowskyj, die 16. VIII. 1786.*

ASV, Arch. Nunz. Vars. t. 86, fol. 176r-177r.

(fol. 176r.) Dominationis Vestrae Ill.mae ac Rev.mae litteras Kalendis Julii ad me datas acceperam, cum haud multo post redditiae sint mihi Romae litterae, quas ad Illam iubeor, uti nunc facio, transmittere. Videbit in his Dominatio Sua Sanctae Sedis judicium ac voluntatem circa eam, quae desiderat ita dilucide expressam, ut ad eas me nihil opus sit

addere. (fol. 176v.) Unum illud rogo, quod iam antea meis etiam litteris significaveram, ut Dominatio Vestra diligenter velit expendere: tantine illud sit, quod in recepta Rituum consuetudine mutare cogitat, ut adiri periculum debeat, ne gravius inde in commodum manet, quam bonum illud sit, quod ex huiusmodi mutatione sperare liceat. Novit profecto Dominatio Sua, ut in Ecclesiae Latinae caeremoniis nonnulla sunt, quae salva Ritus substantia alia in aliis Ecclesiis aut aliter peraguntur, idem quoque in Ecclesia Orientali contingere. Unius enim eiusdemque Ritus habentur Rutheni, Graeci, Armeni, Syri, et in eorum tamen Liturgiis nonnulla sunt quamvis pauca et exigua discrimina, quae Ritus substantiam non attingunt. Itaque neque Ecclesia Romana aut Ambrosianam Lithurgiam, aut quam Hispani Mozarabicam dicunt, reprehendit; aut Archiepiscopi Constantinopolitani conati sunt aliquando ad Euchologia sua recipienda omnes cogere Orientis Ecclesias, quamquam in eas omnimodam sibi arrogaverant potestatem.

Magna est vis consuetudinis in his praesertim, quibus religio et pietas exercentur, et in usu populi quotidiano versantur. Nihil fere ut in eis sine magna hominum offensione aliquando fuerit innovatum. In hanc autem incurrere locumque iurgiis ac dissensionibus patefacere ob eam tantummodo (fol. 177r.) causam, ut in re non necessaria antiquiore ritum utcumque magis laudabilem recentiori quidem ut non vitioso quidem ac reprehendendo substituamus, esset idem profecto atque id, quod est in Evangelio: « decimare mentam et anetum relinquentes quae graviora sunt Legis ».

Longius fortasse progredior, quam debui, ut cui nondum sit exploratum, qui in hac re Dominatio Vestra moliri cogitet. Tacere tamen non potui, quin Illam universe rogarem et obsecrarem, ut in hoc toto negotio Unitatis Catholicae communisque Ecclesiae aedificationis curam potissimum Sibi esse oportere meminerit. Et...

Varsaviae, 16-8-1786

(*Nuntius Varsaviensis F. SALUZZO*)

***Epistula Heraclii Lisowskyj ad Nuntium Varsaviensem
F. Saluzzo, die 28. XII. 1786.***

ASV, Arch. Nunz. Vars. t. 149, fol. 608r-615v.

(fol. 608r.) Postquam primis litteris Exc.tiae V.rae Ill.mae 13 Maij anni huius 1786 ad me datis graviter impeditus festinantius, super quo veniam exposco, rescripsi, diu anceps haerebam, an responsum hoc meum ad manus Exc.tiae V.rae pervenerit, iamque in animo habebam ex clero aliquem destinare mittendum Varsaviam, cum ecce alterae litterae eius 26 Augusti scriptae cum binis ex Urbe ad me sunt perlatae, quibus inspectis vehementer laetus sum, ubi cognovi postremas saltem meas Epistulas haud interceptas commeasse Romam, quae me suspicione, ac si quid tale molirer, quod Sanctam Sedem vellem quodammodo celare, liberarunt, quare immunum me esse ut etiam Exc.tia Ill.ma probe intelligat, explicare me praesentibus prolixius statui, ex quibus clare pateat, me cum devotissimum erga Sanctam Sedem Apostolicam constanti ani-

mo permanere, tum iusta praesentique Dioeceseos meae statui maxime necessaria iam tertio ab Eadem petere; non ut haec, quae non vitiosa neque in se non reprehendenda, aut quibus Religio ac pietas exercetur, sed quae offensioni et scandalio multis sunt ac rudem populum inter Ritum et Fidem differentiae ignarum et hoc in puncto minime persuasum ad defectionem a Sancta Unione proxime disponunt Nostramque Ecclesiam Unitam ultra modum deformant indeque summo non-Unitorum contemptui obnoxiam reddunt, non modo permitteret adiuvaretque, verum insuper demandaret idque non soli mihi, sed omnibus nostris Ruthenis Unitis quantocius (fol. 608v.) refomare.

Quod vero Sacra Congregatio ac V.ra Exc.tia a me requirit, ut distinete atque singulatim caeremonias seu verius corruptelas in Ecclesiam nostram noviter irreptas declarem, quas a re Catholica putarem ab eadem Ecclesia auferri, licet praecipuas in dictis litteris meis Romam datis attingerim, voluntati tamen Sacrae Congregationis morem gerens, quantum mihi in Domino videtur ajo:

Omnes illas auferendas esse, quae antiquum Ritum Graecum a Sanctis Patribus traditum et a Ruthena gente post susceptam fidem Christianam perpetua consensione in Unitorum quoque Ecclesia usque ad annum circiter 1730, alias ad aliquot annos post Synodum Zamoscianam servatum, funditus evertunt, et inepte affectata in morem simiae imitatione cum Ritu Latino permiscent, quae non legitima auctoritate inductae, non consuetudine adeo diuturna firmatae, sed privatorum temeritate pedetentim in Ruthenam Graeco-Catholicam Ecclesiam inserptae usque adeo, ut vix remanserit aliqua ex antiquis caeremoniis, quae pro libitu horum non immutaretur aut cum contemptu non omittetur, cuius immutacionis aut omissionis nullam ab iis redi rationem aliam audies, quam quod eiusmodi caeremoniae ad substantiam Ritus minime spectant, quodsi ulterius quaeras, quaenam caeremoniae de substantia Ritus sint, non video aliud iis restare ad respondendum, quam ut hoc quae sit pressi dicant, eas solas esse, quae ad conficiendi Sacramenti valorem pertinent.

Ecce novellos interpretes Sacro-Sanctae Synodi Tridentinae, Canonis XIII, Sessionis VII (fol. 609r.) De Sacramentis: « Si quis dixerit receptos et approbatos Ecclesiae Catholicae Ritus in solemnni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos aut contemni aut sine peccato a ministris pro arbitrio omitti aut in novos alias per quemcumque Ecclesiarum Pastorem mutari posse, anathema sit ». Porro antiquus Ritus Graeco-Ruthenos non modo a Sancta Sede Apostolica toties approbatus, verum etiam in decreto Unionis cum Eadem Sancta Sede ab Episcopis Ruthenis anno 1596 initae solemniter cautum esse, ut idem antiquus Ritus illaesus in post servaretur et in subsequenti Paulus V, Summus Pontifex per Breve declaravit, non esse voluntatem Ecclesiae Romanae, intentionem aut mentem eundem antiquum Ritum Ruthenum tollere, quin immo eum benigne Ruthenis Episcopis et clero indulustum atque concessum esse, quemadmodum refert haec omnia fel. record. Benedictus XIV in Sua Epistula, quae incipit: « Allatae sunt ».

Qui Ritus plus quam integro saeculo post susceptam mox laudatam Unionem utecumque illaese in tota Unita Ruthena Ecclesia servabatur, ac primum post Synodum Zamoscianam sensim coepit oscitatione nostro-

rum Episcoporum corrumpi et pessime inconsulta Sede Apostolica pro libitu cuiusvis privati in dies immutari adeo, ut vix duae Ecclesiae in totum conformes sibi in administrandis (fol. 609v.) Divinis nunc cerni facile queant.

Quas corruptelas atque insulsas novitates, si omnes singillatim recensere velle, deficeret me tempus enumerantem. Mandatis nihilominus Sanctae Sedis Apostolicae obtemperans peculiares declaro, quas etiam Excerptiae V.rae Ill.mae pro notitia excrho, quae scilicet in novis nostri Ritualibus post Synodum Zamoscianam editis, praesertim Suprasliensi, Vilnen-si, Unioviensi etc. contra decretum eiusdem Synodi, quae Titulo tertio «*De Sacramentis*» praecavendo, ne ulla in Divinorum peragendorum ordine sit confusio aut discordia praecipit: «ut uno eodemque Rituali, nihil ei addendo nec quidquam ex eo detrahendo Ecclesiae nostri Ritus utan-tur. Id autem Illustrissimus Metropolitanus componi et a Sancta Sede A-postolica approbatum imprimi curabit»; - quae, inquam, in his Ritualibus, quorum quot editiones tot discrepantiae et varietas cum notabili dif-formatione antiqui Ritus passim occurrunt, atque imprimis in admini-strandis Sacrementis:

In Baptismate orationes Catechumenorum aliae expunctae aliae bre-vitatis studio truncatae. Solemnis benedictio aquae et olei in toto praeter-missa et seorsim dumtaxat breviusculae una pro aqua, altera pro oleo be-nedicendo orationes appositae, neque hae semper adhibentur, sed aqua per multos menses, oleum per annum et amplius semel his oratiunculis benedicta asservantur.

In Sacrificio Missae eadem Ritualia praescribunt multas insulsas et affectatas novas (fol. 610r.) caeremonias, uti conversionem Sacerdotis cum expansione manuum ad haec verba: «Nunc et semper et per omnia saecula saeculorum» loco antiqui moris convertendi se ad eundem populum cum benedictione manu dextra eidem populo impertienda sub haec verba: «*Pax omnibus*», et «*Gratia Domini nostri Iesu Christi et Charitas Dei et Patris et Communicatio Sancti Spiritus sit cum omnibus vobis*». Item sub hymnos et Orationes etiam ante Canonem crebras manuum expansiones et genuflexiones. Praeterea unusquisque visa hac, in-quam, licentia aut addit quidquam aut demit, uti ipso initio Missae, ubi latinus Sacerdos iuxta Ritum suum praemittens generalem Confessionem convertit se ad servitorem percutiendo pectus ad haec verba: «*mea culpa*», nostri plures inepte Sacerdotem latinum imitando id ipsum faciunt ad istos versiculos: «*Gloria in excelsis Deo*» et «*Domine, labia mea aperies*». Alii praesertim in templo latino Missam partim cantatam partim lectam celebrant, alii in Missa pro defunctis «*Alleluia*» et populi be-ne-dictionem in fine contra omnia Euchologia Graeca omittunt, alii Evangelium ad finem Missae iterato legunt, alii, immo fere omnes, in Proskomidia usum lanceae praetermittunt neque sub id tempus, licet Ritualia nova omnia id praescribant, hostiam (fol. 610v.) ex Prosphora et his litteris: IH̄C XP̄ H̄N KA signata excidunt, sed extra Missam servitor templi plures simul hostias ex una bucella absque ullo signo Crucis aut Passionis Domini abscidit pro una et altera septimana asservandas. Similiter omnes fere sub tempus Missae cantatae solemnes introitus: Minore cum Evan-gelio, et Maiorem cum Calice per totum intermittunt, quae caeremonia

in Orientali Ecclesia antiquissima et magnifica adstantesque multum ad devotionem excitans et quam fel. record. Benedictus XIV in Sua Epistula, quae incipit: « *Ex quo primum* » honorifice vindicat.

In Sacramento Poenitentiae expunctae sunt orationes admodum piae et ad conterendum cor poenitentis peraccommodae, quae absolutioni praemitti solent.

Sacramentum Extremae Unctionis, quod apud Graecos in praesentia aegroti Ritu solemni, ubi omnes hymni et praees, sicuti et ipsa forma ad aegrotum praesentem diriguntur cum crebra horum verborum repetitione: « *Sana, Domine, istum servum tuum* » non peragitur, apud nos autem per Lithuaniam et Albam Russiam Presbyteri in Coena Domini his ipsis orationibus etsi mutilatis et aegroti, quamquam nullus adest, allocutionibus perficiunt, in quo pertemere actum Ordinis Episcopi latini imitari (fol. 611r.) praesumunt et orationibus non ad solam benedictionem olei, sed potiori ex parte ad impetrandam aegroto corporis et animae salutem praepostere abutuntur.

In collatione Ordinum Maiorum Diaconatus et Presbyteratus, immo et Episcopatus non solum omnia cum Ritu latino permixta et confusa cernuntur, verum et binae formae: una ex Rituali Graeco circa impositionem manuum, altera circa traditionem instrumentorum ex latino de sumpta adhibetur, atque sic iterari Sacramentum quodammodo suspiciatur.

Iam vero in aliis extra collationem Sacramentorum in utraque Ecclesia adhiberi solitis orationibus, officiis, benedictionibus, alias Sacramentalia vocatis, quas tum latina tum Graeca Ritualia nobis exhibent, proprio Ritui accommodatas, quales in novis nostris Ritualibus his ineptissime consarcinati ex utroque Ritu centones conspiciendi in quovis pene folio ulti se offerunt, si omnes singillatim recensere vellem, librum non Epistulam scriberem, quibus si addas sublatam in Basilicis nostris intus et extra formam Ecclesiae Graecae, uti Bema, Altare circumvagabile, ara (fol. 611v.) maior nuncupatum etc., neglectas in festis celebrioribus Vigiliis, quae apud Graecos in maxima reverentia habentur, immo et matutina Officia ex more Graeco in Ecclesia semper celebrari solita, apud nos vero privatim ex Breviario de communi etiam Dominicis et solemnioribus Festivis pro consueto recitantur. Missae quoque cantatae ut plurimum intermittuntur, unde sensim antiqua devotio populi refrigescit. In multis item locis introducta Organa, Musica, Rosaria etc.

Quae omnia quis non videt maxime aliena esse a Ritu Ecclesiae Orientalis eaque pluria talia sicuti a Graeco longe recedunt, ita inepte et ridicule latinum Ritum imitantur, quae tantum abest, ut coniunctionis cum Romana Ecclesia tesseram quampiam praeseferant, quin potius eam, ac si ista cum contemptu SS. Patrum Graecorum in Ecclesiis nostris fieri videt, criminatio apud non-Unitos exponent causamque aversandi Sanctam Unionem praebant.

Atque haec satis, ut opinor, indicavi, ex quibus Exc.tia V.ra Ill.ma aequius dijudicare non gravabitur, cuinam istud Domini in Evangelio dictum verius quadret: « *Vae vobis, Pharisei hypocritae, qui decimatis mentem et (fol. 612r.) anetum et cimimum et reliquistis quae graviora sunt Legis* » - an mihi, qui in simplicitate cordis hoc unicum intendo ac de

hoc diu noctuque cogito, quomodo in his oris Sanctae Unionis promotioni, in eaque concredditi mihi gregis Dominici conservationi consulere possem, - an iis, qui aliunde mihi infensi sinistre Ex.iam Vr.am ac Sacram Congregationem informant meumque rectum propositum, quod neque ipsi palam condemnare audeant, speciosis rationibus vere in sensu Domini « menta et aneto » similibus impedire moramque ei iniicere ex occulto satagunt, et ut ex contentis litterarum Eius in ante ad me datarum conicio, coram Sancta Sede, ac si minus facta erga Illam oboedientia essem, me iniuste, Deus videt, insimulant...

..... (fol. 614r.) Et tales in praesenti video zelotas nostros, quibus novus ille a me hic recensitus spurius Ritus adeo nimis arridet, ut se illo quasi nota una a Schismaticis discerni et disiungi glorientur, non adverentes se novo hoc Ritu a SS. Patribus Graecis disiunctos esse.

Sed ne mea simplicitas cordis longius forte, ut par erat, ori ista suggerentis molesta Exc.tiae V.rae atque importuna sit, breviter concludo meamque cogitationem aperio :

Si Euchologium iussu fel. record. Benedicti XIV vulgatum, omni castigatione, ut ait idem Sanctus Pontifex, emendatum (fol. 614v.) omnibusque Archieppis, Eppis Ecclesiasticis Ritus Graeci communionem cum Sede Applica habentibus, ut hoc potissimum in Sacris actionibus adhibeant, ab eodem s. mem. Pontifice Epistula Encyclica, quae incipit: « *Ex quo primum* » commendatum, immo, si, ut in litteris Sacrae Congregationis modo lego, idem Euchologium rectissimum et sanctissimum sit, ac quammaxime optandum, ut etiam Rutheni illo utantur, primae curae mihi erit dictum Euchologium, quam potero ocios in linguam Slavonicam ad verbum converti, (quod etiam Ill.mo Metropolitanus nostro per litteras significo atque hoc consilium illi quoque suggero), sicque conversum revisioni Sanctae Sedis Apostolicae, an integra fide translatum sit, subdere, tum expectare, si quid melius hac in re alii apud se statuent ac praesertim Ill.mus Metropolitanus noster, decreto Synodi Zamoscianae ad hoc obstrictus, a Sancta Sede approbandum, approbatumque mihi demandandum.

Interim iuxta receptum nunc monitum Sacrae Congregationis: « providendum, inquit, ne in Schismaticorum odium et offenditionem incurramus, si eas caeremonias reiicimus, quae veterum Patrum usu et totius Ecclesiae Graecae comprobatae sunt », cum aliunde notum habeo, Ritualia, quibus nunc in tota Russia non-Uniti utantur, ex Veneto Euchologio emendata cum praefato Euchologio Romano integre convenire, et non modo errores, si qui erant, in ante Ritualibus contra Ecclesiam Romanam irrepti, expunctos, sed et formam indicativam absolutionis: « *Domini noster Jesus Christus... et ego... te abservo* » superadditam esse; (fol. 615r.) nihil verendum mihi puto, ne quid erroris in Sacra meae Ecclesiae inseram, si toties memorato Euchologio sicuti rectissimo et sanctissimo omnique castigatione emendato, donec aliter mihi a Sancta Sede demandatum fuerit, salvis Synodi Zamoscianae statutis utar probe sciens et non-Unitis hoc esse gratum et Sanctae Sedi Apostolicae honorificum maximamque ei laudem et existimationem praevideo apud omnes conciliaturum fore. Audio enim saepissime, quoties in colloquio aliquo sermo de hoc incidit, non modo Eipscopos, sed et saeculares Dominos contra defor-

mationem antiqui Ritus a nostris improbe, ut isti aiunt, factam plurimum stomachari indigneque ferre, ac Sedem Romanam, quod talia permittat, incusare, ad quae pro defensione Sanctae Sedis aliud respondere non habeo praeter hoc unicum: Sedem scilicet Romanam non modo ista non probare, sed neque explorare scire utpote a nemine hactenus de his plene informatam...

... (fol. 615v.) Interea adjunctas his ad Sacram Congregationem litteras meas, quos tutius pervenire possint, ut a Se Excellentia V.ra dirigere faveat humillime rogans cum profundissimo cultu permaneo.

Ex Monast. Onuphriensi

28-X-bris 1786.

HERACLIUS LISOWSKI
ArchiEppus Polocensis

NB. Eadem die (28-XII-1786). Il Lisowskyj etiam epistulam ad S. Congregationem de Propaganda Fide misit, quae fere ad verbum cum supra allata epistula ad Nuntium Varsaviensem concordat.

***Epistula Cardinalis Prefecti L. Antonelli ad Heraclium
Lisowskyj, die 29. IX. 1787.***

ASV, Arch. Nunz. Vars. t. 71, fol. 28rv.

Litteras Ampl. Tuae pietatis religionis singularis erga Sedem Apostolicam obsequi plenas Sacra haec Congregatio libentissime vedit, maioresque in modum gavisa est Ecclesiam istam Polocensem, Deo sic disponente, ei potissimum Viro fuisse collatam, Lui et gratia apud Serenissimam Aulam Imperique Optimates floreat, et Praesulibus ipsis non-Unitis acceptus evaserit...

... Quod attinet ad corruptelas privatorum quorundam temeritate in Graeco-Ruthena Liturgia non multos ante annos pedetentim introducetas et late iam per Ruthenas Ecclesias grassantes, non ignoramus Ampl. Tuae probe perspectum esse, quantopere semper S. Apostolica Sedes pro Orientalium Rituum conservatione atque observatione laboraverit, atque id circa minime dubitare potes, quin S. haec Congregatio omnem Ampl. Tuae caeterisque Praesulibus opem et favorem allatura sit, ut omnes, qui in Ruthenorū Ritualibus irrepserunt abusus penitus et radicibus evellantur.

Quare Em.mi Patres in Generali Convenitu habito die 18 Juni propositis huiusmodi Ruteni Ritus deformationibus et corruptelis statuerunt:
 - « *Insistendum esse executioni Decretorum Synodi Zamosciensis collatis consiliis et studiis cum Metropolitano caeterisque Praesulibus Unitis, habitu praesertim prae oculis Euchologio a S. Sede Apostolica approbatā eiusque iussu edito, salvis tamen mutationibus inter Ruthenos Unitos communiter inductis ad maiorem Catholicae Fidei et Unitatis protestationem. Interim vero donec prodeat huiusmodi Rituale ad mentem praefatae Synodi, et donec ab Apostolica Sede approbetur, abstineat ArchiEppus a quacumque innovatione, et praesertim ab introducendo usu Ritualis, quo utuntur non Uniti ».*

De hoc Decreto Archiepiscopum ipsum Metropolitanum certiorem

fecimus eumque maiorem in modum exhortamur, ut in hoc paeclarum opus quanto poterit accuratius animum operamque intendat.

In hac etiam Congregatione sermo habitus est, utrum expediret facultatem ab Ill.mo Dm.mo N.ro Tibi impetrare dispensandi Graecos Unidos Tuae jurisdictioni subiectos ab observantia Festorum praecipuis solemnitatibus exceptis, aliisque diebus in Tua notula descriptis. Verum Em.mis Patribus nihil in praesens statuere posse visum est, quum prius cognosci oporteat, quae Festa observantur tum a Ruthenis Unitis conterminarum Dioecesium, quam a non-Unitis Lithuanis et Russis, quaeque differentia intersit inter Unidos et non-Unitos in eorundem Festorum observantia. Nam quum Ampl. Tua Festorum reductionem ob id potissimum exoptet, ut quantum fieri potest odiositas et alienatio non-Unitorum diminuatur, iidem multo etiam magis a nostris alienarentur, si maior Festorum numerus inter non-Unitos retineretur, quam inter Unidos, idque lucri causa, quam nostris opificibus multo plures dies superessent suas artes exercendi, quam caeteris. Quare Ampl. Tua hoc nobis diligenter significabit, dabimusque operam, ut Apostolicum Indultum super ea re ad te prompte celeriterque perferatur. Hoc tamen Te monitum esse volumus, inter dies, qui observandi erunt, omnino referenda esse Festa SS. Apostolorum Petri et Pauli, itemque S. Josaphat, cuius meritis et laboribus tantum debet s. Unio et Ruthena Ecclesia...

Zelum Tuum egggregiamque istam pro Ecclesiasticorum Rituum instauratione vigilantiam plurimum in Domino commendantes Deum precamur, ut Ampl. Tuae fausta omnia concedat eamque florentem et sospitem diutissime servet.

Romae 29-7bris 1787

(Card. Praefectus L. ANTONELLI)

***Epistula Cardinalis Praefecti L. Antonelli ad Heraclium
Lisowskyj die, 23. VIII. 1788.***

ASV, Arch. Nunz. Vars. t. 149, fol. 122v.-125r.

(fol. 122v.) Litteris Tuis die 23 Xbris anni proxime praeteriti scriptis, quibus ad alias S. huius Congregationis rescripseras, nihil adhuc respondere potui, non negligentia impeditus, sed aliis gravissimis negotiis distentus, quae eidem S. Congregationi referre prius oportebat.

Actum igitur est de Tuis litteris in Generali EE. PP. Conventu, habito die 23 elapsi mensis Junii. Fuerunt autem illae, ut quidem esse debuerunt, iucundissimae, nam paeseferebant observantiam erga hanc Apostolicam B. Petri Cathedram, vehemens quoque et incensum studium, quo flagras pro Catholicae Religionis ac S. Unionis amplificatione. Mirum vero in modum delectaverunt ea, quae de Taurica Regione seu Crimea scribis, iacta enim illic aiebas Catholicae Fidei semina, uberesque fructus expectari posse pollicebaris...

(fol. 123v.) Gradum nunc facimus ad Euchologium. Iterum laudamus consilium Tuum, quod Euchologium Graecum a Benedicto XIV vulgatum, in linguam Ruthenam convertendum esse studeas, atque etiam quod in artem sollicitudinis Tuae arciveris D. Metropolitanum aliosque Eppos

Ruthenae gentis. Verum iterum monemus etiam, ne omnes immutaciones, quae in S. Liturgia multis abhinc annis a Ruthenis sunt facta, abusum nomine traducas. Quamvis enim Tibi ad Catholicae Fidei et S. Unionis protestationem satis esse videatur, si in Euchologio retineatur expressa commemoratio Romani Pontificis atque in Symbolo recitetur particula « Filioque », haud tamen hinc effici ullo modo potest, quod contempnendae atque abrogandae etiam sint illae consuetudines ac Rituum immutations, quas Synodus Zamosciana Applicae Sedis auctoritate confirmata ad maiorem Catholicae Fidei atque Unionis declarationem invexit. Quid enim? Num Missarum lectorum usus, plurium Altarium erectio, vetita aquae tepidae in S. um Calicem immixtio, ac demum caeterae Ecclesiasticae Liturgiae varietates, quaeque ab eodem Concilio sancitate sunt, atque ab omnibus Ecclesiasticis Ruthenis Episcoporum consensu admissae, de medio tolli atque abrogare debent, quia vel apud non-Unitos non sunt receptae, vel cum Euchologii Ritibus non plane conveniunt? Non hoc Te velle, nec optare quidem omnino confidimus. Hinc enim vero haud levi animorum scandalo ac perturbatione suspicio exoriri posset, tot annorum decursu, quo in Ruthenis Ecclesiis huiusmodi Ritus obtinuerunt, Nationem Ruthenam infeliciter errasse, ac ab ipsomet Epporum suorum coetu fuisse deceptam. Nihil igitur superest, nisi ut abusus dumtaxat eliminetur, eaque Rituum ac Caeremoniarum confusio removeretur, quae privatorum quorundam oscitantia aut imperitia sensim irrepsit, quaeque ipsis etiam Zamosciensibus Patribus reprehensione digna visa est, ut propterea Metropolitano provinciam (fol. 124r.) dederit novum Rituale componendi ac Decanis praeceperit, ut in visitationibus suis de Caeremoniis interrogent et instruant ignaros.

Operе pretium facturos etiam Metropolitanum Vosque omnes Ruthenos Eppos arbitramur, si praeter Euchologii versionem Liturgicum Codicem conficiatis, ubi integer Ordo Missae lectae describatur, ne Sacerdotes totidem libris sese instruere debeant, quotquot uti solent Graeci pro Sacro celebrando. Ita quoque optata Caeremoniarum constantia ac aequalitas magis obtinebitur similesque in omnibus Ecclesiis erunt Sacrorum Ritus, nulla deinceps varietate abnoxii. Quae quidem res, quum per se sit magni momenti, ac totius Ecclesiae accomodatae necesse est, ut nonnisi Episcoporum consensu ac Metropolitani praesertim consilio atque auctoritate peragantur, cui propterea scribendum duximus, ut coniunctis Tecum studiis tam salutare opus urgere tantamque Ecclesiac Ruthenae utilitatem fovere curet.

Superest nunc, ut Festorum reductionem a Te postulatam expendamus. Illorum elenchum Calendario pro currenti anno a non-Unitis edito depromptum in Tua Epistula alligatum accepimus eumque optares pro Tua Diocesi Polocensi ab omnibus servari. Praeterea Festorum Corporis D. N. J. Christi ac B. Josaphat, quae a Synodo Zamosciae inducta sunt, quaeque vel imposterum retinenda esse tuto ipse ultro fateris, in Dominicas infra Octavam translationem Tibi in votis esse vidimus.

Haec omnia studiose ac diligenter discussi in S. Congregatione, quae Tuac petitioni aliqua tantum ex parte annuendum esse duxit. Primo enim duo Festa nuper memorata minime transferenda esse censem, quod deceat omnino peculiarem utriusque memoriam ritu plane ab eo diverso,

quo colitur dies Dominica, celebrari. Festum Corporis Domini Feria V. celebrandum est, quod eadem die Salvator Noster Sacramentum Eucharisticum instituit. Festum vero B. Josaphat obeundum est die XVI Septembris, quo eadem die celebratur a tota Ecclesia Ruthena Catholici Ritus. Si vero die Dominica infra Octavam deinceps statueretur, qua populus ab operibus servilibus vacare solet, cultus, qui invicto huic Martyri debetur, cum altero diei Dominicae (fol. 124v.) permixtus atque confusus paulatim desuesceret, ac vix Festum caelitis Sancti Catholicae Fidei ac S. Unionis strenui propugnatoris agnosceret. Atque aequum sane est, universam Nationem Ruthenam inclyto huic Martyri peculiarem cultum tribuere, ac praesertim Dioecesim Polocensem, cuius Pastor et Magister olim fuit, quamque gloriosissima sui sanguinis effusione illustravit.

Item minime annuedum esse putat, in iis Festis celebrandis, quae tum in Kalendario non-Unitorum, tum in altero a Synodo Zamosciensi edito, diversis licet diebus praescripta sunt, primi potius quam alterius consuetudinem retinere. Itaque Festum S. Joannis Evangeliae celebrandum erit die 8 Maii, quemadmodum Synodi Kalendarium praescribit, minime vero die 26 Septembris, ut in Kalendario non-Unitorum decernitur. Magni enim refert in hac dierum discrepantia, in quibus solemnitatum celebratio adsignatur, ut potius praescriptum ac leges Synodi totius Nationis Ruthenae Catholicae retineantur, quam usus et consuetudines non-Unitorum.

Hisce autem regulis ante oculos habitis ac pro norma acceptis indulta est favente etiam approbatione atque auctoritate Sanctitatis Suae dispensatio nonnullorum Festorum minoris solemnitatis, ut populus iis recurrentibus servilibus operibus possit incumbere, dummodo onus celebrandi ritum sacramque solemnitatem apud omnem clerum fixum permaneat, quemadmodum ex adjuncto Decreto perspicies.

Quoad vero jejunia nihil innovandum esse ducitur, sed leges ab eadem Synodo praescriptae religiose observandae erunt.

Tandem mittimus Ampl. Tuae alterum Decretum pro exercenda in Regulares ea potestate, quae iam ab anno 1785 Tibi collata est, et ut Tuis votis indulgeremus ad quinquennium impetrata venia a SS.mo proximus. Hinc alacrius curabis Monachorum disciplinam eamque tutaberis consilio et exemplo Tuo, nihil valet magis ad moderandos subditorum mores, quam Superioris auctoritas et exemplum. A Deo Optimo Maximo omnia fausta Tibi appreco (fol. 125r.) atque interim cum omni studio et benevolentia sum.

Datum Romae 23-VIII-1788.

Card. ANTONELLI

« ANALECTA ORDINIS S. BASILII M. »

Ex Sectione prima « OPERA »

Vol. I. M. WOJNAR OSBM, *De regimine Basiliianorum Ruthenorum a Metropolita Josepho Velamin Rutskyj instauratorum*, vol. I, Romae 1949; Pretium 1500 Lit. (= 3 dol. am.).

Vol II. M. SOLOWIJ OSBM, *De reformatione liturgica Heraclii Lisowskyj Archiepiscopi Polocensis* (1784-1809), Romae 1950; Pretium 1200 Lit. (= 2 dol. am.).

Ex Sectione secunda « ANALECTA »

Vol. I. Fasc. 1: « *Analecta Ordinis S. Basilii M.* », Romae 1949, p. 208; Pretium fasc. 900 Lit. (= 2 dol. am.).

Vol. I. Fasc. 1 (Additamentum): « *Index Analectorum OSBM* » Series I-a, vol. I-VI, Romae 1949, p. 26; Pretium 90 Lit. (= 20 cent.).

Ex Sectione tertia « DOCUMENTA ...ex ARCHIVIS ROMANIS »

DOCUMENTA BIO-ET HAGIOGRAPHICA

Vol. I. *Documenta S. C. Rituum in causa Beatificationis Martyris Josaphat Kuncewycz* (1623-1643).

p. Joanikij OSBM
18.02.2021, Roma